ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ
ΙΠΠΙΑΤΡΙΚΑ
HIPPOCRATIS
VETERINARIA

Hippocrates Byzantine Veterinarian

~~Hippocrates III~~

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ
ΙΠΠΙΑΤΡΙΚΑ
HIPPOCRATIS
VETERINARIA

LATINE ET ITALICE REDDIDIT
AC NOTIS ILLUSTRAVIT

PETRUS ALOYSIUS VALENTINI
IN NOSOCOMIO S. SPIRITUS
MEDICUS PRIMARIUS.

ROMAE MDCCCXIV.
APUD LINUM CONTEDINI

Superiorum permissu.

LECTORI

Veterinaria Hippocratis multis ante saeculis pervulgata, sparsim ex veteribus Graecis hippiatricis, in operum vero omnium Hippocratis Coi praestantissima editione Joannis Anton. Vander Linden, in Academia Lugduno-Batava medicinae practicae professoris studiose una simul congesta reperitur. Cum huiusce aucto-

ris scribendi ratio brevis, et concinna appareat; ad renovandam pervetustae veterinariae ideam quam plurimis aut incognitam, aut obsoletam, satis superque futurum arbitror ejusdem textum Latine, et Italice interpretatum in lucem edere. Hunc autem Hippocratem aetate Coo multo posteriorem fuisse testatur Fabricius, qui Bibl. Graec. Tom. XIII. pag. 247. haec adnotavit: Hippocrates Veterinarius ad quem Absyrti epistola in hippiatricis

pag. 70 unde tempore Constantini magni vixisse cognoscitur. Absyrtum enim sub illo imperatore in Scythia ad Istrum militasse ex Eudociae Augustae Joniis manuscriptis notat praeclarus Cangius: Praeterea in dicendi ratione differunt. Cous namque Jonica, hic Attica usus est dialecto. In equorum vero curationibus praescribendis etsi empyricam illam, et inordinatam priscae, suaeque aetatis methodum est sequutus: non nulla tamen affert, quae

non ex vulgaribus experimentis , aut erroneis traditionibus hausit , sed ex accurata ratiocinatione , rerumque usu deprompsit . Veterinariam igitur dissitis temporibus a viris non plane rudibus , imo plus satis excultis excultam , et tractatam fuisse deprehendimus . Quis enim non videt , equorum usum si non prorsus necessarium , at certe cum belli , tum domi peropportunum , et maxime utilem esse ? Quamobrem , ipsis aegrotantibus,

non temere, et oscitanter, sed studiose, ac diligenter pro humani ingenii viribus curationes faciundae. Homerus autem, Herodotus, Plato, Xenofon, caeterique antiquissimi auctores de equitatione potius, ac rebus equestribus, quam de remediis ad equinos morbos tollendos accommodatis tractasse videntur. Pluribus vero Latinis scriptoribus veterinariam artem cognitam, et ab ipsis adhibitam fuisse ante J.C. nativitatem constat.

In Hippocratis scriptis nullus observatur ordo; ideoque non integrum opus, sed potius disjuncta fragmenta putantur, ut et reliqua hippiatricorum opera. Quapropter de aliquibus tantum morbis loquitur, qui nullam inter se affinitatem habent, et interdum forsan ob amanuensium incuriam vel inscitiam capita eorum titulo adamussim non respondent. Constantinus Porphyrogeneta Graecorum operum summaria confici voluisse

creditur, qui si integra potius scripta colligenda curasset, posteritatem sibi magis devinxisset. Itaque posteriori aevo, et praesertim decimo saeculo, ut veterinaria ante id temporis non parum neglecta revivisceret, multi operam suam navarunt; atque ita hippiatricae Hippocratis dispersa frustula tunc servata ad nos pervenisse putandum est. Saeculo autem decimo sexto veterinariae studium non plane excidit. Anno enim MDXXVIII. Vegetii

opus editum fuit, quod duodecimo, aut tertio decimo desistente saeculo sub titulo = *Vegetii artis veterinariæ, sive mulo medicinæ* = exaratum fuisse videtur. Franciscus I. Galliarum Rex, de scientiarum, bonarumque artium studiosis optime meritus, clarissimum medicum Joannem Ruellium Svessionensem ex Graeca in Latinam linguam Graecorum hippiatricorum collectionem transferre jussit, quae, ut diximus, Constantini Porphy-

rogenetae nutu fuit jamdiu absoluta. Interpretatio haec Parisiis anno MDXXX. literis mandata est. Itidem Venetiis anno MDXXXXIII. alia eorumdem hippiatricorum versio in Italum sermonem accuratissime fuit edita. Ex quibus patet veterinariae accidisse, quod reliquis fere omnibus humanis rebus accidere solet. Ea nimirum ars vicissitudinum satis pertulit; nam quibusdam temporibus magni habita est, et a plurimis praestanti ingenio viris

exculta, aliis vero temporibus oblita, et contempta. Equidem ab antiquissimo aevo ad aetatem usque nostram in rebus veterinariis exercendis incerta, et empyrica methodo plerosque usos fuisse, observatur; ut parum ad sextum, et septimum supra decimum saeculum domesticorum animalium medicina ab incunabulis eruperit, et adhuc apud vulgares veterinarios nostros (quorum plerique inscii sunt, suarumque consuetudinum plus

aequo tenaces, ac veteribus praejudiciis mancipati) errores multos, et absurda multum valere videmus. Etenim opera veterinaria etiam nunc in Europa evulgata, quae ad rudimenta artis statuenda plurimi fiunt, non in vulgarium veterinariorum manus, qui, ut diximus, ingenio non pollent, sed veterinariae amatorum, studiosorumque medicinae dumtaxat devenerunt.

Quamquam vero in perquirendis de Hippocrate ve-

terinario notitiis multum laboris adhibui, paucos tamen scriptores reperire licuit, qui de ipso pauca dicant: ut Needhamius in geoponicis Cantabrigiae MDCCIV. sub verb. Hippocrates, et Salmasius in lib. de homonymis hyles Jatricae, cap. 18. et 19. Post varias investigationes in publicis, et privatis Bibliothecis in Barberina veterum Graecorum hippiatricorum codicem tantum inveni, qui ea qua usus sum editione Joannis Anton. Van-

der Linden, minime locupletior est. Attamen ex hoc codice, quemadmodum ex Hippiatricis Basileae apud Joannem Valderum MDXXXVII. paucas variantes lectiones decerpsi, quae adnotatione dignae mihi visae sunt.

In libro decimo sexto geoponicorum caput vigesimum Hippocrati veterinario tribuitur, quamvis initium huiusce capitis in hippiatricis legitur pag. 27. sub nomine Anatolii. Hoc jam cognitae Hip-

pocratis veterinariae in extremo adjicere putavi. Tandem adnotationes addidi, quo res dubiae, vel obscurae etiam illis, qui medicinam non facerent, evidentiores evaderent. Hunc brevem, et nullius momenti laborem amicis exhibeo, quibus ob meam in ipsos observantiam, gratum, acceptumque fore confido.

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ

ΙΠΠΙΑΤΡΙΚΑ

Σύνθεσις τροχίσκου πρὸς πᾶσαν μᾶλιν, καὶ πᾶν ἀῤῥώστημα.

ΔΑΦΝΙΔΩΝ γο̃ β', ἀφρονίτρου γο̃ ε', θείου ἀπύρου γο̃ ε', σμύρνης γο̃ γ', κροκομάγματος γο̃ ἓξ, ἴρεος ἰλλυρικῆς γο̃ γ', σελίνου σπέρματος καὶ ἀριστολοχείας τὸ ἴσον. ταῦτα ἐμβαλὼν εἰς θυίαν, καὶ τρίψας, ἕως ἂν λεῖα γένηται, μίσγε μετ' οἴνου καὶ ποιήσας

HIPPOCRATIS
VETERINARIA

Compositio pastilli pro quavis malide [1], *et quavis imbecillitate.*

Baccarum lauri [2] uncias [3] duas, aphronitri [4] uncias quinque, sulphuris ignem non experti [5] tantundem, myrrhae [6] uncias tres, crocomagmatis [7] uncias sex, iridis Illiricae [8] uncias tres, seminis apii, et aristolochiae par pondus. Hisce in morta-

τροχίσκους ἔχε, καὶ ἐν τῇ χρείᾳ μετὰ οἴνου λευκοῦ ἐγχυμάτιζε.

Περὶ Πνεύμονος.

Ἵππος τῷ πνεύμονι συνεχόμενος ὑγρὰ ῥεῖ διὰ τῶν ῥινῶν καὶ διὰ τοῦ στόματος βαρὺ πνεῖ, καὶ τὰς λαγόνας ἀνεσταλμένας ἔχει. ἐγχυματίζεται δὲ οὕτως. ἀκροδρύων τὰ στιπτικώτατα καθεψήσας ἐν οἴνου κοτύλῃ μιᾷ, καὶ ἐλαίου ὡσαύτως, δίδου διὰ τοῦ στόματος. καὶ τροφῇ δὲ χρῶ λείᾳ, καὶ τῇ κριθῇ παράμισγε ὀρόβους, ἢ ἐγκέφαλον χοίρειον καθεψήσας ἐν οἴνου κοτύλῃ μιᾷ, καὶ ἐλαίου κοτύλης τὸ ἥμισυ συμμίξας, ἐγχυμάτιζε τὸ ἀρκοῦν καὶ τῇ ἀρωματικῇ δὲ ωσαύτως, ἢ ἀλεκτρυόνα ἑψήσας, μέχρις ἂν διαλυθῇ, καὶ συμ-

rium injectis, et tantisper detritis dum in polentam redigantur, cum vino misce, et pastillis confectis, eos serva. Cum usus venerit, ex albo vino faucibus ingere.

De Pulmone [9].

Equus in pulmone astrictus ex naribus humida manat, gravem animam ex ore perflat, ilia habet sublata. Curatur hac infusione. Cum fructus quercuum astringentissimos in vini hemina [10], et tantundem olei decoqueris, per os faucibus insere. Levi pabulo utere, et ervum [11] hordeo [12] permisce, aut suillum cerebrum [13] in vini hemina coctum, cui adjunctum sit dimidium hujus mensurae olei, quantum satis sit, infunde. Similiter aromaticam potionem adhi-

μίξας γλυκέος οἴνου ξέστην ἕνα, ἐγχυμάτιζε. ποίει δὲ καὶ αἵματος ἀφαίρεσιν κατὰ δύναμιν τοῦ ζώου. δίδου δέ καὶ ἄγρωστιν ἢ μηδικὴν, καὶ τὸ ποτὸν διάῤῥαινε ἀλεύρῳ, ἵνα τὴν δύναμιν τοῦ ζῶου εὐτραφῆ τηρήσῃ.

Πῶς δεῖ φλεβοτομεῖν καὶ περὶ γραστισμοῦ.

Ἄριστον εἰδέναι πότε δεῖ τὸν ἵππον αἷμα ἀφαιρεῖν, καὶ ἐν αἷς ὥραις καὶ ὅπως, καὶ ἀπὸ ὅσων φλεβῶν, καὶ διαγινώσκειν τὰς φύσεις, καὶ τὰς ἕξεις. οἱ μὲν γὰρ εἰσιν εὖ διακείμενοι, οἱ δὲ ἰσχνοὶ, οἱ δὲ νοσεροὶ, καὶ τὸ αἷμα οὐκ ἔστι τὸ αὐτὸ, οὐδὲ ὅμοιον τοῖς πάθεσι πᾶσιν, ἀλλὰ διαφέρει τοῖς χρώμασι πρὸς ἕκαστον πάθος. τὸ μὲν γὰρ ἀπὸ τῶν εὖ ἐχόντων ἵππων αἷμά ἐστιν

be, vel gallum [14] tamdiu incoctum donec prorsus liquefiat, addito vini dulcis [15] sextario [16], ingere. Sanguinem mitte juxta animalis robur. Ipsi gramen [17], aut medicam [18] porrige, potumque farina asperge, ut vires validae conserventur.

De venae sectione, et alimento [19].

Scire optimum est, quando equo sanguinem mittere oporteat, quibus horis, qua ratione, quibusque venis; nec non naturas, habitusque cognoscere. Etenim alii sunt bene constituti, alii graciles, alii vero non satis firmae valetudinis. In singulis morbis sanguis non idem est, neque similis, sed in unoquoque colore discrepat. Sanguis bene valentium e-

εὔκρατον, καὶ πολὺ καὶ ξανθόν. ἀφαίρει τοίνυν, ινα μὴ πάθος ἐπιστῇ. τὸ δὲ τῶν μαλακιζομένων αἷμά ἐστι ποικίλον καὶ ἀφρῶδες. τὸ δὲ τῶν κριθινώντων αἷμά ἐστι μέλαν καὶ ἰξῶδες. δεῖ ὖυν πρῶτον ποιῆσαι τὸν ἵππον ἐπὶ ἡμέρας ἕξ χλωροφαγῆσαι ἐπὶ πέδιον σύῤῥιζον, ἐφ᾽ ὅσον ἡ γράστις προσηνὴς τυγχάνει, καὶ λοιπὸν συλλέξει αἷμα νεαρὸν εἰς τὰς φλέβας, καὶ ἔσται εὐρωστότερος. ἀφαίρει δὲ τῆς ἡμέρας ὥρᾳ δευτέρᾳ. ἐπεὶ δὲ διεληλύθαμεν τὸν περὶ τύτου λόγον, λοιπὸν ἀρξώμεθα, πῶς δεῖ τοῦ ἵππου αἷμα ἀφαιρεῖν. αὐχενίζειν χρὴ, τὸν δὲ τόπον περιβάλλειν αὐχενιστῆρι, ἤτοι τὸν τράχηλον, καὶ προσανατείνειν, ἕως ἂν προσαναστῶσιν αἱ φλέβες. μὴ μέντοι καθιέναι τό φλεβότομον κατὰ βάθος, ἐπεὶ ὀυ δυνήσῃ

quorum est rite compositus, copiosus, rubens, quibus ne vitium adveniat, eum detrahe. Sanguis aegrotantium est varius, et spumosus, sanguis vero eorum, qui hordeatione [20] laborant est niger, et glutinosus. Itaque primum equus per sex dies in campo herboso, viridi pabulo nutriendus est, dum adsit suave gramen, quod novum sanguinem in venis infundat, et ipse robustior evadat. Sanguis est imminuendus hora secunda diei. Quoniam autem de hoc sermonem habemus, quomodo equo sanguis mitti debeat exponemus. Opus est locum, idest collum vincire [21], et loro circumplecti, et hoc protendere, donec venae protuberent. Tamen scalprum non est profunde adigendum; nam si utrin-

στῆσαι τὸ αἷμα εὐχερῶς, εαν διαμπερὲς τὴν ἀρτηρίαν διέλῃς. κροτάφους δὲ ἐὰν βούλῃ λῦσαι, περίβαλλε αὐχενιστῆρα περὶ τὴν κεφαλὴν πρὸς τὰ ὦτα, μέχρις ἂν διαναστῶσιν αἱ φλέβες, καὶ ὑπότεμνε, ὡς εἴρηται, μὴ κατὰ βάθος.

Πρὸς σύλληψιν φορβάδος.

Εἰ βούλει συλλαβεῖν φορβάδα, κνίδας ὦσον εἰς τὸ στόμα τοῦ ἵππου. εἰ τεκοῦσα ἅπαξ καὶ δὶς φορβὰς στῇ τοῦ τίκτειν, οὕτω ποίει, ἵνα συλλάβηται. ἀννήσου ὀξύβαφον α΄, σμύρνης δραχμὰς ιβ, κρόκου δραχμὰς δ΄, λειώσας ἐπιμελῶς καὶ καταρίως καὶ ἀναπλάσας εἰς εἶδος βαλάνων ἁδρῶν, προσώθει καταμίαν πρὸς τὴν φύσιν τῆς ἵππου ἕως τῆς μήτρας. προκάταντλει δὲ τὴν

que ferro transigatur vena, aegre sanguis retineri poterit. Si temporalibus venis sanguinem mittere desideres, astringe caput loro circa aures donec venae tumeant, easque non alte incide, ut dictum est.

De conceptione armentitiae [22].

Si armentitiam concipere velis, in os equi urticam trudito. Si autem quae semel, aut bis peperit, partum edere destiterit, ita fac, ut ipsa procreet. Anisi acetabulum [23], myrrhae drachmas [24] duodecim, croci drachmas quatuor; omnia sedulo, et munde detrita, et in formam adultarum glandium digesta, per equae naturalia sigillatim ad uterum propelluntur.

φύσιν θαλαττίῳ ἀνεζεσμένῳ, καὶ ἐλαίῳ ὅσον κοτύλῃ μιᾷ, καὶ γλοιῷ διάτριβε τὴν ὀσφὺν καὶ τὰ αἰδοῖα καὶ τὰ παραμήρια δὶς τῆς ἡμέρας, ἕως συλλήψεται, καὶ παρ᾽ ἡμέρας πέντε ἢ ἑπτὰ, γάλακτος κοτύλας τρεῖς, ῥοδίνου τέταρτον, ἱππορίζου δραχμὴν μίαν, πεπέρεως κόκκους ε̄, σμύρνης ὁλκὰς β̄, διαζέσας ἐγχυμάτιζε τὴν μήτραν χλιαρῶς, αὐλίσκον μακρὸν προστιθεὶς. καὶ κρίθινον δὲ ἄλευρον ἑψήσας ἐν ὕδατι δίδου πίνειν, ἕως τέκῃ.

Πρὸς χοιράδας.

Συμβαίνει τὸ τῶν χοιράδων πάθος, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἐξ ὑδάτων μεταβολῆς, οἷον καρύου τὸ μέγεθος. τῷ

Genitales sedes aqua marina fove, quae efferbuerit, et oleo, quantum unius heminae pondus, et sorde bis in die lumbos, genitales locos et circa coxas defrica, donec conceperit. Cum lactis tres heminae, rosacei quarta pars, hypporrhisi [25] drachma, piperis grana quinque, myrrhae drachmae [26] duae ebulliverint, per quinque, vel septem dies, longa fistula apposita, tepide in uterum infundantur. Hordeaceam vero farinam in aqua coctam, dum pariat, bibendam dabis.

De Strumis [27].

Affectio strumarum ex aquarum mutatione ut plurimum nascitur; est tumor magnitudine juglandis. Huic

τοιούτῳ καυτήριον πρόσαγε σκληρόν. εἰ δὲ βήσσει, καὶ, συντάσεως γενομένης, πνεύματα δυσώδη ἐκφέρει, ἐγχυμάτιζε τοῖς λειαντικοῖς, ἵνα μὴ ἡ βὴξ παροξυνθῇ. εἴωθε γὰρ κακοῦσθαι ἡ ἀρτηρία ἐρεθισθεῖσα. κεδρίαν οὖν καθεψήσας, καὶ ῥάκη διηθήσας, ἐνάλειφε καὶ ἐγχυμάτιζε. ὑστάτως δὲ χρῆσαι ποτίσματι τῷ ἀρωματικῷ μετὰ οἴνου, καὶ ἐλαίου καὶ ὠῶν καὶ μέλιτος ἐγχυματίζων. ἀφαίρει δὲ πρῶτον καὶ ἀπὸ τοῦ αὐχένος αἷμα.

Σύνθεσις πρὸς χοιράδας.

Σύκων λίτραν μίαν, νίτρου γο ἓξ [a] γαλβάνης γο ἓξ προπόλεως γο ἓξ πίσσης γο δύο.

[a] χαλβάνης ex Hippiatricis, et Cod. Barberino, tam hic, quam ubique.

candens ferramentum [28] admove. Si autem tussis torqueat, et vitio intentiori facto, grave olens emittatur spiritus, emollientia infunde, ne tussis exacerbetur. Solet enim aspera arteria [29] lacessita noxam adducere. Itaque oleo cedri [30] cocto, et linteolo colato, illitus fiat, et infusio. Postremo aromaticam potionem praebe ex vino, oleo, ovis, et melle. Ast in initio sanguis mittendus est.

Compositio ad strumas.

Ficuum [31] libram [32], nitri [33], galbani [34], propolis [35], singulorum uncias sex, picis [36] uncias duas.

Ἄλλο.

Ἐὰν ὑπὸ γένυν χοιράδες γένωνται, ἢ φύματα, πυρία πρότερον, εἶτα μίξας σῦκα καὶ νίτρον κοπέντα εἰς ἕν, μετὰ ἀξουγγίου ἢ κριθίνου ἀλεύρου, καὶ ἑψήσας ἐν ὑδρομέλιτι καὶ ἐλαίῳ κατάπλασσε. ἐὰν δὲ μὴ θεραπεύηται, τέμνε καὶ τὴν τομὴν καῦσον.

Μάλαγμα πρὸς ἄρθρα κεκλασμένα, καὶ χοιράδας, καὶ διοθιῆνας.

Ἴρεως ἰλλυρικῆς γο̃ ἕξ, κηροῦ ά, ἰρίνου γο̃ ἕξ, ἀμμωνιακοῦ γο̃ γ', σιλφίου γο̃ δ', μίξας μετὰ κηροῦ ἐν ἰρίνῳ ἐλαίῳ τηχθέντος, χρῶ. ἐὰν δὲ τὸ μάλαγμα ἄκοπον βούλῃ ποιῆσαι, γαλ-

Aliud.

Si sub maxillis strumae, vel tubercula erumpant, primum fomentum adhibe, dein cum ficus, et nitrum tunsum una cum axungia [37], aut hordeacea farina [38] permiscueris, atque in hydromelite [39], et oleo decoxeris, illine. Si vero non sanetur, seca, et vulnus ure.

Malagma [40] ad articulos contusos, strumas atque furunculos.

Iris Illiricae uncias sex, cerae unciam, irini uncias sex, ammoniaci [41] uncias tres, laseris [42] uncias quatuor: quibus cum cera in irino oleo liquefacta commixtis, utere. Si autem

βάνης, ὀποπάνακος, κηροῦ, σιλφίου, ἀμμωνιακοῦ ἀνὰ γο δύο, ῥητίνης φρυκτῆς] ά, ῥητίνης πιτυίνης] ά [a], κολοφωνίας γο β' συμμίξας θεράπευε.

"Αλλο σκορπιστικόν.

Κηρύκια θαλάσσια καύσας, καὶ μέλιτι συνεψήσας, κατάπλασσε.

Πρὸς βῆχα.

Τραγάκανθαν ὡς λεπτότατα [b] καὶ πλύνας, μίξας τε κριθαῖς καὶ ὀρόβοις,

a ῥιτίνης κολοφωνίας ex *Cod. Barberino*.

b κατατεμὼν καὶ ex *Hippiatricis Basileae apud Joan. Valderum* 1537. et ex *Cod. Barberino*.

malagma acopum [43] componere velis, galbani, opopanacis [44], cerae, laseris, ammoniaci, singulorum uncias duas, resinae coctae, resinae pinus [45] singularum unciam, resinae colophoniae [46] uncias duas; mixtis omnibus, cura.

Aliud resolvens.

Buccinis marinis ustis [47], earum cinis cum melle coctus applicetur.

De Tussi [48].

Cum tragacantham [49] quam minutissime incisam hordeo, et ervo permiscueris, edendam praebe. Aut eandem tragacantham per triduum in vino, et hemina mellis infusam, cui

δίδου φαγεῖν. ἢ τὴν αὐτὴν τραγάκανθαν βρέξας ἐν οἴνῳ μέλιτος κοτύλῃ μιᾷ ἐπὶ ἡμέραις τρισὶν, ἔλαιον προσμιγνὺς ἐγχυμάτιζε, ἢ πηγάνου ῥίζαν καθεψήσας ἐν ὕδατος κοτύλῃ μιᾷ κλύζε, καὶ τῷ ἴσῳ ἐγχυμάτιζε. ἐπίῤῥαινε δὲ καὶ τὰς κριθὰς χυλῷ μυρίκης κεκομμένης. ἐὰν δὲ πυώδη ἀναβάλλῃ διὰ τοῦ στόματος, ἢ τῶν ῥοθόνων, στέαρ ὕειον βρέξας ἐν ὄυρῳ παιδικῷ ἐπὶ ἡμέραις τρισὶ, καὶ ἐπιβαλὼν οἴνου καὶ ἐλαίου ἀνὰ κοτύλην μίαν, καὶ συνεψήσας ἐγχυμάτιζε, ἢ δαφνίδας ἑψήσας, κόψον καὶ ἄλφιτα καὶ ἀξούγγιον παλαιὸν οἴνῳ γλυκεῖ δεύσας καὶ μίξας, καθ' ἡμέραν ψώμιζε, ἢ τὴν ἀρτεμησίαν βοτάνην καθεψήσας ἐν ὕδατι καὶ ἐλαίου κοτύλῃ μιᾷ ἐγχυμάτιζε. καὶ ἡ μαλάχη δὲ ἐν οἴνῳ γλυκεῖ καὶ ἐλαίῳ ἑψηθεῖσα τὸ αὐτὸ ποιεῖ.

oleum additum sit, instilla. Aut radicem rutae in aquae hemina coctam clysteribus injice, et pari modo fauces immitte. Hordeum quoque asperge succo myricae [50] contusae. Si vero aliquid purulentum ex ore, aut naribus ejiciat, adeps suillus [51] in puerili urina [52] per triduum madefactus, et in singulis vini, et olei heminis incoctus, infundatur. Aut terantur laurei baccae coctae, et hordeacea farina, et vetusta axungia dulci vino madida, commixtae, sub buccellarum forma in os quotidie inserantur. Malva in vino dulci, et oleo decocta etiam prodest.

Ἄλλο.

Πρασίου δεμάτιον χειρόπληθες, οἴνου λευκοῦ ξέ. ά, τῆλιν ἀποβεβρεγμένην ἰσχάδων χ̄ ά, ἢ φοίνικας κατ᾽ ἀναλογίαν ἑψήσας εἰς τρίτον, δίδου ἐπὶ ἡμέραις τρισί. χρίε δὲ καὶ τῶν πονούντων τὸ σῶμα μέχρι τῶν ὀνύχων. Πίτυρα ἀφεψήσας, καὶ σαβάνῳ καλῶς ἐκπιέσας διήθησον, καὶ, μίξας ὀμφάκινον ἔλαιον, δίδου, φυλαττόμενος, μὴ λέπος ἐναπομείνῃ τῶν πιτύρων.

Ἄλλο.

Μάζας ἀπὸ χοιρείου στέατος ποιή-

Aliud.

Marrubii manualem fasciculum, vini albi [53] sextarium; item foenum graecum [54] madefactum, ficorum sextarium, vel palmulas [55] eadem proportione, cum ad tertias decoxeris, per triduum dabis. Animalium aegrotantium corpus usque ad ungulas unge. Similiter cum furfur decoxeris, et panno aspero bene presseris, colaturam oleo omphacino [56] mixtam propinabis; verum cavendum est, ne furfuris cortex in ea remaneat.

Aliud.

Offas suillo adipe factas, et ex-

σας, καὶ περιχρίσας ἔξωθεν βουτύρῳ καὶ μέλιτι, διὰ στόματος δίδου.

Ἄλλο.

Κράμβης χυλῷ, ἀμιναίου οἴνου αὐτάρκως βληθέντος, ἐγχυμάτιζε.

Περὶ ἐκβολῆς ὤμου.

[a] Ἐαν ἐν ταῖς συμβολαῖς τῶν ὤμων καὶ τῶν βραχιόνων γένηται χωλεία, σημεῖα ἐστι τάδε. οὐ προφέρει εἰς τὰ ἔμπροσθεν, οὐδὲ συνάγει τὸν βραχιόνα, ἀλλὰ ἐπισύρει τὸ σκέλος, ἐν δὲ τῇ καταβάσει καταφέρεται λίαν. Θεράπευε οὖν ἐναλείφων οἴνῳ καὶ ἐλαίῳ καὶ αἷμα ἀφαιρῶν ἐκ τῶν βραχιόνων, καὶ

a *Haec verba desiderantur in Cod. Barberino, usque ad aliud caput* ἐαν ἵππου ὦμος.

terius butyro, et melle illitas in os adduces.

Aliud.

Instillabis succum brassicae, cui satis vini aminei [57] additum sit.

De humeri luxatione [58].

Si in armorum crurumque conjunctionibus claudicatio excitetur, haec sunt signa. Nec anterius crus extendit, nec adducit, sed ad se sursum trahit. In descensu praepropere fertur. Itaque olei, et vini unctionibus, ex cruribus sanguinis missione, et per septem dies ablutionibus sane-

κλύνων ἐπὶ ἡμέραις ἑπτὰ, ἔπειτα σύγχρισον ἐπὶ μιᾷ ἡμέρᾳ γλοιῷ παιδικῷ σὺν οἴνῳ καὶ ὄξει.

Ἄλλο.

Ἐὰν ἵππου ὦμος ἐκβληθῇ, ἢ τινὸς τῶν ὑποζυγίων, ῥίψον αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἔδαφος, ἵνα ὁ ἐκβεβλημένος ὦμος ἐπάνω ᾖ, καὶ δήσας τὸν πόδα, καὶ πρὸς δένδρον ἀποτείνας, ποκάριον ἐπιτίθει τῷ στήθει, καὶ τρυπήσας τὸ δέρμα τοῦ ὤμου, μέχρις ἡμερῶν τεσσάρων, βάλλε ἐπιούρους συκίνους, εἶτα ἐν οἴνῳ καὶ ἐλαίῳ βρέχε πολλῷ περιθεὶς τοῖς ἐπιούροις ἔρια, καὶ μετὰ τέσσαρας ἡμέρας λῦσον [a] τοὺς ἐπιούρους, πάλιν βρέχε τοῖς αὐτοῖς.

[a] εἶτα ἐκσύρας τοὺς ex Hippiatricis, et Cod. Barb.

tur; deinde una die puerili sorde cum vino, et aceto illiniatur.

Aliud.

Si equi, aut alicujus ex subjugibus animalibus armus luxatus sit, ipsum humi projice, ut è suo situ sublatus armus sursum veniat; et ubi pedem ligaveris, et ope trunci extenderis, vellusculum pectori superpone, et terebrata humeri cute, per quatriduum ficulneos clavos fige, dein clavis lana circumdatis multo vino, et oleo prolue. Post quatriduum clavos refige, et iterum elue.

Κατάπλαστος εἰς συνωμίας πόνον.

Αὐτολύκιον ἢ ἐλλέβορον λευκὸν καὶ κέλυφα ὠοῦ κατακαύσας καὶ κολοκύνταν καὶ κεράσια τρία, καὶ ἀγρισίκυον καὶ πάντα κόψας ἐν ταυτῷ ἐπίπασσε.

Περὶ τοῦ ἧπαρ ἀλγοῦντος.

Ἐὰν ἵππος τὸ ἧπαρ ἀλγήσῃ ἀπὸ δρόμου, οἵ τε κενεῶνες ἕλκονται, κατὰ τὸν πνεύμονα ῥῆγμα γίνεται, καὶ συμπίπτει τὸ σῶμα, καὶ τροφὴν οὐ προσίεται, τό, τε αἷμα ἐν ταῖς φλεψὶν ἀνατρέχει. Θεραπεύσεις οὖν ἀφαιρῶν αἷμα ἀπὸ τοῦ αὐχένος, καὶ ἐγχυματίζων σμύρνης καὶ λιβάνου ὁλκὴν

Medicamentum ad dolorem armorum [59].

Cum autolycium [60], aut veratrum album [61], ovi putamen ustum [62], colocynthidem [63], cerasia tria, et silvestrem cucumerem [64] comminueris, insimul superimpone.

De hepatis dolore [65].

Si post cursum equus dolore hepatis afficiatur, ilia extollit. Pulmones rumpuntur, corpus cadit, pabulum recusat, et sanguis per venas recurrit. Hunc curabis, sanguinem mittens a cervice, et myrrhae, thurisque [66] drachmam cum vini hemina infundens. Vino oleoso illine,

μετὰ οἴνου κοτύλης μιᾶς. σύγχριε δὲ καὶ οἰνελαίῳ, καὶ δίδου ποτὸν σεμίδαλιν διακεχυλωμένην ὕδατι, καὶ τροφὴν, εἰ ὀρέγεται, εἰ δὲ ἐπιμένει τὸ πάθος, καὶ ἀπὸ τῶν μασχαλῶν ἀμφοτέρων αἷμα λάμβανε. γίνεται δὲ ἐνίοις τοῦτο, ὅταν ἐν ψηφῖσι καὶ τραχέσι καὶ λιθοστρώτοις χωρίοις σφοδρότερον δράμωσι, καὶ τούτους δὲ κυμίνου ὀξύβαφον μετὰ οἰνελαίου ἐγχυμάτιζε.

Ἄλλο.

Μέλιτος καὶ νίτρου ἀνὰ ὀξύβαφον, κυμίνου ὀξύβαφα δύο διείς οἴνῳ ἐν ταυτῷ καὶ ἐλαίου, καὶ ὕδατος ἐπιχέας κοτύλας β' ἔγχει εἰς τὸν μυκτῆρα. ἐὰν δὲ μὴ ὑγιὴς γένηται, αἷμα ἄφελε ἀπὸ τῶν σκελῶν τῶν ἐμπροσθίων ὑποκάτω τῶν γονάτων. ἐὰν δὲ μὴ οὕτως ὑγιὴς

et potui similaginem in aqua solutam, et alimentum porrige, siquidem expetit. Si vitium remaneat ab utrisque axillis sanguinem detrahe. In quibusdam haec affectio gignitur, quando per saxosa loca, aspera, lapidibusque constrata vehementiorem cursum currant. Eis cumini [67] acetabulum cum vino oleoso instilla.

Aliud.

Mellis, et nitri singulorum acetabulum, cumini acetabula duo: hisce vino commixtis, super quae olei, et aquae heminae duae conjiciantur, naribus instilla. Si autem non obtineatur integra valetudo, ab anterioribus cruribus sub genua san-

γένηται, καῖε κατὰ τὴν πλευρὰν τὴν τρίτην ὑποκάτω τῆς μασχάλης ἀνὰ μέσον τῶν πλευρῶν ῥάβδοις, τέσσαρας δακτύλους ἀπὸ ἀμφοτέρων τῶν καύσεων διαλιπών [a]. βατράχους λιμναίους μετὰ οἴνου χλιάνας, διά τοῦ στόματος ἐγχυμάτιζε επὶ τρισὶν ἡμέραις.

Προπότισμα ἡπατικόν.

Στροβίλους λεπτοτάτους, κρόκου γο̃ ά, καὶ κυμίνου αἰθιοπικοῦ τὸ ἴσον ἐπιμελέστατα διηθήσας, ἐν οἴνῳ δίδου, ἢ πολεμώνιον τὸ ἐν τοῖς ἕλεσι τικτόμενον (ὅπερ ἔοικε καλαμίνθῃ πιότητα ἔχον πικρὰν) ἢ καὶ ὀρίγανον ἀγρίαν μετὰ πεπέρεως λείου, καὶ

a Ἄλλο. ex Cod. Barberino.

guis trahendus est. Si ne quidem ad hunc modum restituatur sanitas, candentibus virgulis sub axillis tertias costas per medium ure, relicto quatuor digitorum spatio inter utrasque exustiones. Palustres ranas cum vino tepefactas in os per triduum insere.

Potio pro hepaticis.

Pineas nuces tenuissime tritas, croci unciam, cumini aethiopici tantundem, omnibus diligentissime subcretis, in vino praebe; aut polemonium [68], germinans in paludibus, quod simile est calaminthae, amaro pollens gustu: aut origanum silvestre [69] cum pipere trito, et vino: aut butyrum, mel, opopanacem, et myrrham;

δι' οἴνου, ἢ βούτυρον καὶ μέλι, καὶ ὀποπάνακα καὶ σμύρναν ἐν ἴσῳ σταθμῷ λειώσας, καὶ οἴνῳ μίξας, διὰ μυκτήρων ἐγχυμάτιζε.

Περὶ τετανικοῦ καὶ ὀπισθοτονικοῦ.

Κασίας ὁλκὰς τρεῖς, σμύρνης τρωγλήτιδος ὁλκὰς β῀, τραγακάνθης ὁλκὴν μίαν, ταῦτα λειοτριβήσας, βάλε εἰς ἑκάστην πόσιν ὁλκὰς γ῀, καὶ ὠῶν τὰ λευκὰ, καὶ ἐλαίου κοτύλην μίαν, καὶ οἴνου παλαιοῦ τὸ ἶσον, μέλιτος κοτύλας β῀, καὶ ἐγχυμάτιζε ἐπὶ ἡμέραις τρισί. πρὸ τοῦ δε τροφὴν λαβεῖν, δίδου ὀρόβων πεφρυγμένων κοτύλην μίαν, ἢ ἐρέγκου ὁμοίως.

omnia aequo pondere tunsa, et vino mixta naribus infunde.

De Tetano, et Opisthotono [70].

Casiae drachmas tres, myrrhae troglodytidis [71] drachmas duas, tragacanthae drachmam; hisce leviter tritis, in unamquamque potionem tres demittantur drachmae; et ovorum albumina, olei hemina, vini veteris tantidem, mellis heminae duae per triduum infundantur. Priusquam animal alimentum sumat detur hemina ervi ustulati, aut contusae fabae.

"Αλλο.

Ἐὰν ὑπὸ ὀπισθοτόνου ἐνοχληθῇ ἵππος, ἀνακάθηται ὥσπερ κύων, καὶ ἀκολουθεῖ τὰ ὀπίσθια τοῖς ἐμπροσθίοις. τοῦτον οὖν φλεβοτόμει ἐκ τῶν βουβώνων, καὶ πυρία ὕδατι θερμῷ. εἶτα καταμίξας σύγχριε οἰνελαίῳ, καὶ δαφνίσιν. ἐπικείσθω δὲ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς νάκος, ἢ τῶν ψυῶν τῆς αὐτῆς ἐμβροχῆς. ἐγχυμάτιζε δὲ βαλὼν σμύρνης γο̃ γ̄, κρόκου ὁλκὴν μίαν, ἐλαίου κοτύλας δ̄, οἴνου ξε̃. ᾱ.

"Αλλο.

Κηρὸν ἀμμωνιακὸν, ῥητίνην, κολοφωνίαν, γαλβάνην, βδέλλιον, ὀποπάνακα, ἀξούγγιον, θεῖον ἄπυρον,

Aliud .

Si equus opisthotono exagitetur , instar canis sedet , et posteriora priores partes sequuntur . Huic sanguinem mitte ex inguinibus , et aqua calida fove . Postea lauri baccis vino oleoso commixtis illine . Vellere caput contege , aut lumbos eodem liquore inunge . Hinc myrrhae uncias tres , croci drachmam , olei heminas quatuor , vini sextarium naribus infunde .

Aliud .

Gummi Ammoniacum , resinam , colophoniam, galbanum, bdellium [72], opopanacem , axungiam , sulphur

μυελοῦ ἐλαφείου τὸ ἀρκοῦν βαλὼν ἐγχυμάτιζε.

Ἄλλο.

Ἐὰν ἵππος ὑπέρτονος γένηται, ὅλῳ τῷ σώματι τρέμει, καὶ ἐπαναστὰς εἰς τοὐπίσω ἀπέρχεται, ἔπειτα ὀρθῶς ἀνίσταται, καὶ τρέμει ὅλος, καὶ ἱδροῖ. ἰᾶται δὲ οὕτω. δεῖ λύσαι τὰς φλέβας τὰς ἐν τῷ στήθει, εἶτα τὰς περὶ τὴν ἕδραν, καὶ λούειν θερμῷ πολλῷ, εἶτα κηρωτῷ τὸ σῶμα ἐναλείφειν καὶ στρωννύειν ἐν σκότει, καὶ ἠρεμεῖν ἐν τῇ ἱπποστασίᾳ ποιεῖν. ἐπὰν δὲ ἄνεσις γένηται τοῦ στεναγμοῦ, φαγεῖν δίδου χόρτον, καταῤῥαίνων αὐτὸν νίτρῳ, κριθῶν δὲ ποίει ἀπέχεσθαι, ἕως ἂν ἀσφαλῶς σχῇ.

ignem non expertum, et addens quantum satis medullae cervinae [73], infunde.

Aliud.

Si equus nervorum distentione obnoxius sit, toto tremit corpore, et assurgens recedit, atque iterum rectus se attollit, et totus contremiscit, et sudat. Ita curetur. Venas pectoris incidere opus est, dein sedis, largiterque calida aqua abluere, mox cerato corpus ungere, et facere ut procumbat in tenebris, et in equili conquiescat. Cum relaxentur gemitus, foenum nitro aspersum edendum dabis. Hordeo, donec periculo evaserit, se abstineat.

Τετάνου πρόγνωσις καὶ ἴασις.

Ἐὰν ἵππος τετάνῳ συσχεθῇ, ἡ κεφαλὴ αὐτοῦ ἐν τῷ τραχήλῳ πήγνυται, καὶ ου περιστρέφεται, εἰ μὴ μόλις, αἵτε νωτιαῖαι φλέβες συντέτανται ὥσπερ ἐπὶ τῆς ποδάγρας, καὶ τὰ ὦτα βέβληται πλάγια, τό τε στόμα ξηρόν ἐστι καὶ ἄνικμον καὶ τὰ χείλη. κύαθον οὖν οἴνου ἀκράτου θερμαίνων, καὶ τοῦ ἀπὸ τῆς ποδάγρας φαρμάκου τὸ ἶσον, ὁποτέρου ἂν μᾶλλον μυκτῆρος τὸ πνεῦμα ἔχηται, εἰς τοῦτον ἔγχει. ἐὰν δὲ ἐγχέῃς, τροχασάτω παραχρῆμα, καὶ μὴ δίδου ἐκείνης τῆς ἡμέρας μηδὲν, ἀλλ' ἢ ἄλευρον πίνειν ἐφ' ἑκάτερον, δεῖπνον καὶ ἄριστον.

Tetani presagium et medela.

Si equus tetano teneatur, caput immobile cervici annectit, et aegre revolvitur. Venae dorsi sicut in podagra distenduntur, et aures oblique porriguntur, os est siccum et humore carens, ut et labia. Vini igitur meraci calefacti cyathum [74], et tantundem pharmaci ad podagram, in narem, qua magis spiritus cohibetur, infundes. Facta infusione statim currat, et illa die praeter farinam in coena, et prandio nihil hauriendum dabis.

Ὀπισθοτόνου πρόγνωσις καὶ ἴασις.

Πρῶτον μὲν τὰ ὦτα τοῦ ἵππου τείνονται ὀρθὰ, καὶ τὸ ὄμμα κατεστραμμένον ἔχει, καὶ οὐ δύναται στρέφεσθαι ἐν μικρῷ, ἀλλὰ περιάγει ὅλον τὸ σῶμα συγκλῶν, καὶ τοὺς πόδας οὐ φέρει κατ' εὐθὺ, καὶ ὁ τράχηλος δὲ σκληρός. εἰ οὖν φθάσει τὸ στόμα συγκλεῖσαι, ἀπολεῖται ἀπὸ λιμοῦ. ἐὰν οὖν προφθάσῃς, καῦσον αὐτὸν, ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν, καίων τὰ κύκλῳ, καὶ ἐν τῷ τραχήλῳ τρεὶς μακρὰς, καὶ ἐπὶ τῆς λαγόνος χῖ, καὶ ἐπὶ τῶν κενεώνων ὡσαύτως, καὶ ἐπὶ τῆς ῥάχεως μακρὰς, καὶ ἐπὶ τῆς ὀσφύος παρὰ τὴν ἕδραν τρεῖς ἑκατέρωθεν. ἄλειφε δὲ τὰ τραύματα γλυκέσι, καὶ πυρία ὄξει, καὶ

Opisthotoni praesagium et medela.

Primum aures equi erectae tenduntur, oculos habet inversos, parum verti potest, sed totum corpus in orbem volvit, nec in rectum pedes fert, cervixque rigida est Si curationem praeveniens os claudat, fame peribit, nisi extemplo ustione succurras. Hanc ab oculis incipiens, eos circulatim ures; tres longas lineas duces in cervice, in ilibus, in ventre, in spina etiam longas, et in lumbis circa sedem totidem utrinque. Dulcibus vulnera obline, et aceto fove. Per septem dies remedia liquida porrige, octavo aqua calida vulnera prolue, et lycio [75] sana. Fac

τὰ ἔγχυμα δίδου ἐπὶ ἡμέραις ἑπτὰ, τῇδε ὀγδόῃ πλῦναι τὰ ἕλκη ὕδατι θερμῷ, καὶ θεράπευε τῷ λυκίῳ. μότους δὲ ἐρίων πιναρῶν ποίει, βρέχων ἐν μέλιτι.

Πρὸς διάῤῥοιαν.

Ὀξυλαπάτου δέρμα μετὰ οἴνου αὐστηροῦ ἐγχυμάτιζε, ἢ ῥάμνου φύλλα ἑψήσας μετὰ οἴνου αὐστηροῦ τὸ αὐτὸ ποίει. και πᾶν δὲ εἶδος, ὃ στύφειν δύναται, δίδου καὶ πύρινα ἄλευρα καὶ ἄλφιτα μετὰ οἴνου διδοὺς, ὠφελήσει.

Πρόγνωσις καὶ ἴασις.

Τοῦ διάῤῥοιαν νοσοῦντος ἵππου ἡ κοιλία καταφέρει, καὶ ἱδρὼς αὐτῷ ἐπιγίνεται, καὶ δυσπνοεῖ. θεραπεύεται

turundas pro istis ulceribus lanis succidis [76], melle aspersis.

Ad Diarrhoeam [77].

Acuti lapathi [78] corticem ex austero vino [79] infunde, vel rhamni folia [80] ex eodem vino incocta idem praestant; et omne medicamentorum genus, quod adstringere valet, dari potest, nec non tritici, et hordei farina cum vino data proderit.

Praesagium, et curatio.

Venter equi proluvie laborantis descendit, erumpit sudor, et difficile equus spirat: Hoc modo curatur.

δὲ οὕτως. μύρτων τῶν μελάνων ὅσον χοίνικος μέρος τέταρτον, τρίψας λίαν, ἐπιβαλὼν ἀνδράχνης τῆς κηπίας ὅσον κοτύλας β′, καὶ οἴνου γλυκέος τὸ ἶσον. τούτοις διεὶς τὰ μύρτα, ἔγχει διὰ τοῦ στόματος. καὶ ἐὰν μὴ βούληται πιεῖν, διὰ ἀμύλου δίδου, καὶ τὰς κριθὰς δὲ πεφρυγμένας παράβαλλε.

Ἐγχυματισμὸς ἐς τὸ αυτὸ.

Ῥοδοπιτυΐνης λίτραν ά, ῥοὸς βυρσικῆς λίτραν ά, [a] κηκίδων ἀλεξανδρίνων τὸ ἶσον, ἀψινθίου, ἀβροτόνου, ὑσσώπου, πηγάνου, ἀνὰ γõ ἓξ μίξας ἐν ταυτῷ, δι οἴνου [b] μυσιάστου ἐγχυμάτιζε. σιλφίου γõ τὸ ἥμισυ μίξας εὐκράτου ξέ ἑνὶ ἐγχυμάτιζε.

a χιχίδων *ex Cod. Barberino tam hic quam alibi.*
b μυσιάτου *ex Hippiatricis, et Cod. Barberino.*

Baccarum nigrarum myrti [81] quantum dimidium sextarium bene conterens, et sativae portulacae [82] quantum heminas duas addens, et tantundem vini dulcis; baccas cum reliquis infunde, et per os insere. Si hanc potionem haurire abnuat, ex amylo [83] concede, et hordeum torrefactum [84] adjice.

Infusio ad idem.

Rosarum pinus [85], coriariorum rhus [86] singulorum libram, gallarum [87] alexandrinarum tantundem, absinthii, abrotoni, hyssopi, rutae, singulorum uncias sex; quae simul mixta cum vino mysio [88] infundantur. Pariter dimidia uncia laseris cum sextario vini diluti faucibus instilletur.

Περὶ στρόφου πρόγνωσις καὶ ἴασις.

Ὁ στροφούμενος ἵππος ἐπιγινώσκεται οὕτως. ὧδε κἀκεῖσε ῥίπτει ἑαυτὸν πολλάκις ἐς τοὔδαφος, καὶ πάλιν διεγείρεται, καὶ παρασύρεται τὴν κοιλίαν τῷ ἐδάφει, σπᾶται τε καὶ στενάζει καὶ ἱδροῖ τοὺς διδύμους, καὶ οἷον δεδακρυμένῳ ἔοικε, καὶ τὴν οὐρὰν τείνει, καὶ ἀπὸ τόπου εἰς τόπον ἀποχωρεῖ, ἀναπνεῖ τε θερμὸν, καὶ τὸ στόμα μέμυκε, καὶ κατάξηρον ἔχει τὴν γλῶσσαν, καὶ τραχεῖαν, καὶ τὰ ὦτα κεχαλασμένα, καὶ νυστάζει. θεραπεύεται δὲ λουτρῷ θερμῷ, καὶ σκεπάσμασι θερμαινόμενος, ἐγχυματιζόμενός τε διὰ τοῦ στόματος ἢ τῶν ῥινῶν, σμύρνης δραχμαῖς ε. ἐν οἴνου παλαιοῦ

De torminibus [89] praesagium et medela.

Torminosus equus sic cognoscitur. Huc, et illuc in terram saepe se jactat, iterum surgit, et ventrem per terram trahit; sese contorquet, ingemit, et testes sudore manant, lacrymanti est fere similis [90], caudam producit, de loco ad locum cedit, fervidum halitum emittit, os claudit, et linguam habet siccam, et asperam, laxantur aures, et nutat. Balneo calido curatur, cum operimentis calefactus sit, drachmae quinque myrrhae in sex vini veteris heminis mixtae per os, vel nares infundantur. Post hanc infusionem equum ad cursum ducito brevi in-

κοτύλαις ἓξ κεκραμέναις. μετὰ δὲ τὸν ἐγχυματισμὸν, ἔξαγε εἰς δρόμον, μὴ πολὺν διαστήσας χρόνον, μηδὲ σύντονον τὸν δρόμον ποιῶν, τροφήν τε παράβαλλε, σέλινα ἱκανὰ, ἐὰν ᾖ. δίδου δὲ καὶ ποτὸν θερμὸν ὕδωρ, καὶ κενώσας τὴν κοιλίαν, ποίει πάλιν ἐντροχάσαι, ἵνα ἱδρώσῃ, ἢ καρδάμου σπέρμα τετριμμένον μεθ᾽ ὕδατος, ἐγχυμάτιζε διὰ τοῦ ἀριστεροῦ μυκτῆρος, περιβλήμασί τε περίστελλε, καὶ τροφὴν δίδου τὴν λεγομένην μηδικὴν πόαν. εἶτα ἀποξύσματα τῶν ἐμπροσθίων ὀνύχων τρίψας, ἐν ὕδατος κοτίλαις τέσσαρσιν ἐγχυμάτιζε, ἢ ἀπὸ ὀρύγματος μυγαλῆς λελειωμένου.

Πρὸς ὀρχέων φλεγμονάς.

Τὰς τῶν ὀρχέων φλεγμονὰς χρίε κε-

tercedente tempore, nec vehementer currat. Pro alimento congruum apium [91], si suppetat, subministra, et aquam calidam pro potione. Ubi alvum purgaveris, eum rursus ad cursum coge, ut prorumpat sudor; vel nasturtii semen detritum ex aqua in sinistram narem ingere, et vestimentis obtege. Pro pabulo herbam dictam medicam praesta. Deinde anteriorum unguium ramenta in quatuor heminis aquae detrita, aut detritam terram scrobis, ex mure araneo defossi, instilla.

Ad testium inflammationes [92].

Testium inflammationes figulari

ραμικῇ γῇ πεφυραμένη ὄξει, ἢ στρύχνῳ μετὰ ὄξους καθεψηθέντι. φλεβοτόμει δὲ ἀπὸ τῶν βουβώνων καὶ πότιζε ὕδατι ψυχρῷ. εἰ δὲ μὴ παύηται, πυρία ὄυρῳ θερμῷ παιδικῷ, ὑποτιθεὶς μυλίτας λίθους πεπυρωμένους, ἕως ὑπὸ τῶν λίθων οἱ μηροὶ ἱδρώσουσι, κατάντλει δὲ καὶ ὕδατι θερμῷ, καὶ σύγχριε ἐλαίῳ, καὶ ποίει περιπατεῖν.

Πρὸς οἴδησιν ὀρχέων.

Κρητάριον μετὰ κόπρου βοείου, καὶ κυμίνου, καὶ ὀξυκράτου λειώσας, χρίε μέχρι θεραπείας.

Πρὸς ῥευμα.

Ἅλας λειοτριβήσας μετὰ μέλιτος χρῶ.

terra [93] aceto imbuta, vel solano[94] ex aceto cocto illine. Ab inguinibus sanguinem mitte, et aquam frigidam bibat. Si morbus non cesset, foveatur puerili lotio, molaribus lapidibus ignitis suppositis, donec ob eorum calorem coxae sudorem emittant. Eum aqua calida asperge, oleo inunge, et fac, ut ambulet.

Ad tumorem [95] testium.

Cretam cum bubulo fimo [96] cumino, et posca subactam, usque ad perfectam animalis valetudinem illine:

Ad destillationem [97].

Utere sale cum melle trito.

Πρὸς νεαρὰν φλεγμονὴν.

Καυστικὸν συγκέρασον ἐν ὕδατι ψυχρῷ, καὶ δι' αὐτοῦ καθάρισον τὸ τραῦμα, ἔπειτα ἐπίθες σπογγιὰν ὄξει βεβρεγμένην ἐπὶ τέτρασιν ἡμέραις. τῇ δὲ πέμπτῃ, ἄλευρον κρίθινον μετὰ ὕδατος φυράσας, ἐπίθες, ἕως ἂν τὸ τραῦμα οὐλὴν ἐπαγάγῃ, ῥόας φλοιὸν κατακόπτων μετὰ λυκίου ἐπιτίθει τῷ ἀνεῳγμένῳ τόπῳ.

Πρὸς φλεγμονὰς καὶ ὑδατίδας.

Θερμοσποδιᾶς γο̃ α̃, ἀσβέστου ζώσης γο̃ ά, μετὰ οἴνου φυράσας καὶ μέλιτος, παραφυλαξόμενος πρὶν ἢ ξηρανθῆναι, οὕτω τῷ τραύματι ἐπίχριε. ἐπίμεινον δὲ οὕτω θεραπεύων,

Ad recentem inflammationem.

Candens ferrum in aqua frigida prius extingue, et hoc vulnus munda; dein spongiam aceto madidam admove. Quinta die hordeaceam farinam aqua solutam appone, donec in vulnere cicatrix coeat. Corticem mali punici tunsum cum lycio aperto sinui adjice.

Ad inflammationes, et hydatidas.

Calidi cineris [98] unciam, calcis vivae [99] tantumdem; haec cum vino, et melle subacta, ad inungenda vulnera, priusquam exiccentur, adhibeto. Si recentia tubercula sint, eo

εἰ νεαρὰ τὰ κονδυλώματα ᾖ. εἰ δὲ παλαιὰ, εὐφυῶς καυτηριάσας θεράπευε, καθὼς καὶ τὰ λοιπά. αὕτη δὲ ἡ αἰτία καμάτῳ ἐπιγίνεται, ὅτε ἵππος ἐν ξηρῷ τόπῳ, ἢ ἐν συλλίθῳ ἰσχυρῶς ἐλασθῇ, ἢ μετὰ πολλοῦ βάρους νωτοφορῶν ὀδεύσῃ.

Ἄλλο.

Ῥοδοδάφνης γο̃ γ̃, ἀσφάλτου γο̃ γ̃, νίτρου γο̃ γ̃, ἀξουγγίου γο̃ γ̃, διηθήσας καὶ συμμίξας, καὶ ἐκ τούτων φάρμακον ποιήσας, ἐπίχρισον.

Πρὸς νεύρων πόνον
καὶ ὑδατίδας.

Τὰ ἀπὸ συναγωγῆς ἀποστήματα σι-

pacto curans, desiste; si vero vetera, cum ea solerter adusseris, sanabis ut reliqua. Hic morbus ab immoderato labore nascitur; cum equus per loca aspera, et saxosa, vehementer sit agitatus, aut ingentem sarcinam humeris portans viam fecerit.

Aliud.

Rododaphnes [100], bituminis [101], nitri, axungiae, singulorum uncias tres: colatis omnibus, et mixtis, medicamentum fac, et illine.

Ad ligamentorum [102] dolores et hydatidas.

Apostemata, quae ab humorum

δήρῳ χρὴ διανοίγεσθαι, εἶθ᾽ οὕτως θεραπεύεσθαι, στέατος ταυρείου, γαλβάνης, βδέλλης, πεπέρεως λευκοῦ, ἀμμωνιακοῦ, ἐκ πάντων ἀνὰ γο̃ γ΄, ἀλεύρου, λιβανωτοῦ γο̃ δ΄, δαφνοκόκκων γο̃ ά, συμμίξας ποίησον φάρμακον, ἐξ οὗ πᾶν τραῦμα εἴωθε τεραπεύεσθαι. θεραπεύσεις δὲ καὶ οὕτω, κυκλαμίνου ῥίζης τέφραν, μετὰ ἀλεύρου, ὀροβίνου, καὶ μέλιτος καὶ ὄξους φυράσας ἐπιτίθει τῷ τραύματι. εἰ δὲ τὰ αὐτὰ τραύματα ἔσται βαθύτερα, μίλτον μετὰ μέλιτος μίξας, μοταρίοις τὸ τραῦμα ἀναπλήρωσον· εἶτα ἐπάνω ῥάκος ἢ σπογγιὰν μετὰ ὀξυκράτου ἐπίθες. πολλοὶ δὲ καὶ κηκίδας τετριμμένας, ἢ χυλὸν πρασίου μετὰ αἰθάλης ἐπιτιθέασιν.

collectione nascantur, ferro sunt aperienda, et deinde hac ratione curanda. Adipis taurini, galbani, bdellii, piperis albi [103], ammoniaci, singulorum uncias tres, pollinis thuris uncias quatuor, baccarum lauri unciam: cum omnia miscueris remedium para, quo omne vulnus curari consuevit. Sic quoque subvenies. Radicis cyclamini cinerem cum farina, ervo, melle, et aceto resolutum vulneri superpone. Si vero talia vulnera profundiora sint, tunc ea lemniscis opple, conspersis minio [104] cum melle mixto, deinceps pannum, vel spongiam posca imbutam admove. Multi gallas contusas, aut marrubii succum cum fuligine imponunt.

Ἄλλο, ὥστε φλεγμονὴν δίχα σιδήρου θεραπεῦσαι.

Σινήπεως, ἅλατος ἀλεξανδρίνου ἀνὰ γρά. δ', καρδάμου γ° α̃, ὄξους γρά. β̃, ἀξουγγίου παλαίου λίτρας στ', πάντα λειώσας, καὶ εἰς ὀθόνιον ἐπιπλάσας, ἐπίθες ἐπὶ ἡμέραις τρισὶ, καὶ μετὰ ταῦτα λύσας καὶ ἀποσπογγίσας σπόγγῳ ἐπιῤῥανθέντι λασάρῳ κυρηναϊκῷ. οὕτω τὰς ἐφελκίδας ἀνοίξεις. ἄνθος χόρτου καύσας μετὰ ὀξυκράτου ψυχροῦ πρόσαγε, ἄχρις οὗ ἡ φλεγμονὴ καταμαρανθῇ, καὶ μετὰ ταῦτα σκόροδα λειώσας, κατὰ τῶν σφυρῶν ἐπίθες. ἔστι δὲ δοκιμώτατον.

Aliud remedium ad inflammationem sanandam sine ferro.

Sinapis, salis alexandrini, singulorum drachmas quatuor, nasturtii unciam, aceti drachmas duas: axungiae veteris libras sex; terantur omnia, et linteo illita per triduum impone: mox soluto remedio, spongia cyrenaici laseris humore perfusa, deterge. Hoc modo ulcerum crustae dehiscunt. Foeni florem perustum cum frigida posca admove, donec inflammatio evanuerit: deinde trita allia malleolis appone. Hoc est probatissimum remedium.

Πρὸς ἄρθρα κεχαλασμένα καὶ ὕδατα.

Ἀλοκυσμύρναν, μάνναν, λίβανον, πίσσαν βρυτίαν, πάντα ἐν ταυτῷ λεάνας, ἐπίβαλλε καὶ σίτινον ἄλευρον, προσμίσγων καὶ τῶν ᾠῶν τὸ λευκὸν, ἔπειτα ἀναλάμβανε καὶ χρῶ κατὰ τῶν ἄρθρων, ἐπιδήσας χάρτῃ ἐπιμελῶς, καὶ μετὰ τινας ἡμέρας λύσας, πάλιν τὸ αὐτὸ βοήθημα προσάγων θεράπευε.

Πρὸς θεραπείαν ἰγνύων φλεγμαινουσῶν.

Κηροῦ, ἀσφάλτου, θείου ἀπύρου, ἰσόσταθμα περιλύσας, ἕως θερμά εἰσι, τὴν ἰγνὺν κατάχριε. ἐπιτίθει δὲ καὶ πίτυρα μετὰ ὄξους.

Ad laxatos articulos, et aqua scatentes.

Ubi contriveris aloen, thuris pollen [105], thus et picem brutiam [106], adde farinam triticeam, et ovorum albumen; dein omnia excipiens, pro artubus adhibe, diligenter super deligans chartam: post aliquot dies hoc resoluto, rursus eodem remedio utere, ut equus convalescat.

Ad curationem poplitis inflammatione correpti.

Cum cerae, bituminis, sulphuris ignem non experti, par pondus resolveris, poplitem inunge, ubi haec calida sint; et furfurem cum aceto superpone.

f

Ἄλλο.

Ἐὰν ἵππος ἐν τοῖς ἁρμοῖς ἢ τοῖς ποσὶ παχύτερα σχῇ νεῦρα, ἢ κονδυλώματα, ἀναγκαῖόν ἐστιν ἐπικαίειν τὰ τοιαῦτα. εἰ δὲ καὶ τὴν τῶν ἄρθρων ὑπεξέλθοι τάξιν, ἐξ ἀναγκαίου [a] δῆλον, ὅτι ἀφαιμάσσειν προσήκει, καὶ αὐτὰ τὰ μέλη ἁπαλῶς ἀνατρίβεσθαι. χρήσῃ δὲ καὶ τοιαύτῃ θεραπείᾳ. ὀξέλαιον ἐρίῳ ἀναλαβὼν, κατὰ τῶν ἄρθρων ἐπίθες ἐπὶ ἡμέραις τέτρασιν. οὕτω δὲ καθ' ἡμέραν ἡ τοιαύτη προσαγέσθω θεραπεία. μετὰ δὲ ταῦτα θερμῷ βοηθήματι στερεοῦσθαι χρὴ τὰ ἄρθρα. τοῦ δὲ βοηθήματος ἡ σκευασία αὕτη. σινήπεως κεκαθαρ-

a δῆλον, καὶ ἀφαιμάσσειν ex *Hippiat.*

Aliud.

Si equus in armis, aut pedibus ligamenta habeat crassiora [107], vel condylomata [108], oportet ea adurere. Si vero ex articulorum ordine exiliverint, necessario manifestum est, quod sanguinem mittere convenit, suaviterque membra fricare. Hujusmodi etiam curatio juvat. Excipiens in lana oleum cum aceto, per quatriduum articulis impone. Hoc medicamentum quotidie admoveatur. Post haec calido medicamine articuli sunt roborandi; cujus compositio haec est. Sinapis emundatae libram, galbani uncias tres, medullae cervinae tantundem, aceti quod satis sit. Si rheuma equi pe-

μένου λίτραν ά, γαλβάνης γο̃ γ̃, μυελου̃ ἐλαφείου γο̃ γ̃, καὶ ὄξους τὸ ἀρκου̃ν. εἰ ῥευ̃μα ἐν τοι̃ς ποσὶ του ἵππου ἐμπέσοι, οἰδαίνει τὰ τούτου γόνατα, καὶ χωλαίνει. ἐὰν ου̃ν ἐν τοι̃ς ὀπισθίοις ἠ̃, καυ̃σον αὐτὸν καυτηρίοις στρογγύλοις ἴσωθεν ἐπὶ τη̃ς ἀγκύλης καύμασι πέντε. ἔξωθεν δὲ πλαθέσιν ἀμφοτέρωθεν. ἐὰν δὲ ἐν τοι̃ς ἐμπροσθίοις κάτωθεν ἠ̃, του̃ γόνατος καύσας μανδακηδὸν ἐπιμελου̃ ὡς καὶ τὰ λοιπὰ καύματα.

Πρὸς νεύρων παχύτητα:

Τη̃λιν μετὰ σύκων ἄφρων κεκομμένων καὶ οἴνου μίξας ἀπόθου, καὶ μετὰ τρει̃ς ἡμέρας λύε.

des teneat, tumescunt genua, et equus claudicat. Si hoc pedes posteriores invadat, teretibus ferramentis interiore poplitis flexu quinque exustionibus ure; exterius autem utrinque latis ferramentis. Si humor in pedibus anterioribus subsidat, genu ignem impone superficie tenus, et ulcera, ut caetera igne facta, curabis.

Ad ligamentorum crassitiem.

Foenum graecum cum ficubus afris contusis, et vino mixtum adjice, et post triduum solve.

Ἄλλο.

Ἐὰν φλεγμονὴ περὶ τὰ σκέλη ἢ τὰ γόνατα γένηται ἀπὸ μακρᾶς ὁδοῦ, ἢ δρόμου πολλοῦ, συμβάλλεται ψυχρῷ ὕδατι τὰ φλεγμαίνοντα μέρη καταντλεῖν ἢ εἰς ποταμὸν ἢ εἰς ῥεῖθρον εἰσάγειν, καὶ ἀναπατεῖν ἐκεῖσε ποιεῖν, ἔπειτα σπόγγον μετὰ λασάρου καὶ ὄξους, καὶ ἰξοῦ, καὶ οἴνου ἀφεψημένου, καὶ ἀξουγγίου προσφέρειν.

Περὶ φθορᾶς τριχῶν.

Τριχῶν αὔξησιν τῶν ἐν τῇ χαίτῃ καὶ οὐρᾷ εἰ βούλει ποιῆσαι, πρῶτον οὔρῳ παιδικῷ ἀπόπλυνε, εἶτα ασβέστου κονίαν, καὶ ψιμμύθιον, καὶ λιθάργυρον τρίψας, καὶ ὕδατι φυράσας καὶ ἑψήσας χρῶ.

Aliud.

Si inflammatio circa crura, aut genua longo itinere, et multo cursu nascatur, aqua frigida inflammatas partes inspergere juvat, aut in flumen, aut fluentum equum ducere, et illic facere ut adversis undis incedat; dein spongiam lasere, aceto, visco [109], defruto [110], et axungia imbutam admove.

De pilorum corruptione [111].

Si pilorum incrementum in juba, et cauda efficere velis, primum puerili lotio ablue, dein calcis lixivio [112], cerusa [113], lythargirio [114], cum haec omnia detriveris, aqua subegeris, et coxeris, utere.

Περὶ κατάγματος.

Κατάγματος γενομένου ἐν κεφαλῇ, ἐὰν διακοπῇ τὸ ὀστοῦν ἢ ἡ μῆνιγξ, οἱ ὀφθαλμοὶ ὕφαιμοι γίνονται, καὶ αἵματος πλήρεις, καὶ βήττει, καὶ τὰ σκέλη ἕξει διψδηκότα. ὁ τοιοῦτος δὲ σωθῆναι οὐ δυναται.

Περὶ καρκινώματος.

Των δὲ καρκινωμάτων ἀρίστη ἐστι καὶ ταχίστη ἡ διὰ τοῦ μαλάγματος τοῦ κωνείου, καὶ ῥητίνης, καὶ ἰξοῦ, καὶ γαλβάνης σύνθεσις. ταῦτα ἑψήσας χρῶ θερμῷ βοηθήματι ἐὰν τόπος ἐπιδέχηται. εἰ δὲ μὴ, καταπλάσμασι ξηροῖς καὶ τηκτοῖς τούτοις. καρκίνους ποταμίους καύσας καὶ τρίψας ἐπιτί-

De fractura [115].

Si in capite frangatur os, vel saucietur meninx, oculi suffunduntur sanguine, et implentur, tussit, et crura tumescunt. Hic servari non potest.

De carcinomate [116].

Carcinomati optimum, et promptissimum remedium est malagma ex cicuta [117], resina, visco, et galbano compositum. Hisce coctis calido remedio utendum, modo locus ad hoc conveniat; sin minus haec remedia in pulverem redacta, et liquida adhibenda sunt. Cancros flu-

θει, μετὰ τρυγὸς ὀξηρᾶς, πίτυός τε φλοιὸν κεκομμένον, καὶ κίσσηριν κεκαυμένην, καὶ κωνείου σπέρμα, καὶ σικύου ἀγρίου ῥίζαν κόψας ὁμοῦ, μεθ' ὕδατος ψυχροῦ καὶ ὄξους κατάπλασσε καὶ αὖθις περίπλυνε οἴνῳ. φαρμάκῳ δὲ χρῶ τούτῳ. τρύγα λευκὴν καύσας μετὰ μολυβδαίνης καὶ χαλκάνθης κεκομμένων, καὶ λαβὼν πρὸς ταῦτα κονίαν ἀσβέστου, ἄγαν ξηρὰ πρόσαγε. τὰ δὲ κίκλῳ ἐλαίῳ ἐπάλειφε. εἰ δὲ ἀποσκληρύνεται, ὀρόβους καὶ μέλι ἄλειφε.

Πρὸς τὰ ἐν ὀφθαλμοῖς καρκινώματα.

Ὀρόβους ἀληλεσμένους μετὰ ἐλαίου ῥοδίνου καὶ ᾠοῦ ἔμβαλλε, καὶ, μετὰ τὸ καθαρθῆναι τὸ τραῦμα, μέλιτι

viatiles [118] ustos, et contusos cum faece aceti appone. Similiter corticem pineum comminutum, pumicem crematum [119], cicutae semen, cucumeris silvestris radicem insimul detritam cum aqua frigida, et àceto admove, et rursus vino ablue. Hoc quoque pharmaco utere. Albam faecem vini ustam [120] cum plumbagine [121], et atramento sutorio [122] contusam, addita viva calce, haec in pulverem contrita admovebis, et partes vicinas unges. Si remedium obduruerit, ervo, et melle illines.

Ad oculorum carcinomata.

Perfractum ervum cum rosaceo, et ovo immittatur; et postquam vulnus fuerit abstersum, attico melle

ἀττικῷ ἔγχριε, ὥστε, συνουλωθέντος τοῦ τραύματος, ἰαθῆναι.

Περὶ μελικηρίδων.

Ἐὰν μελικηρίδας ἔχῃ ἵππος, ἤ τι τῶν ἄλλων ὑποζυγίων, φλεβοτόμει περὶ τὰ γόνατα, καὶ σπόγγον ἐπιτίθει δι' ὀξυκράτου μίσγων μέλι. ἐὰν δὲ ἐπιμείνωσι, κατάχριε. ἐὰν πλείονα χρόνον ὦσι, καῦσον αὐτὸν εἰς ἕκαστον γόνυ, μὴ κατὰ βάθος μέντοι, ἵνα μὴ τὴν ἁρμογὴν λύσῃς, ἀλλὰ μηδὲ ἐλλιπῶς, μηδὲ ἐπισυνάψῃς. θεράπευε δὲ ὡς καὶ τὰ λοιπὰ καυτήρια ἀποδεσμεύων.

Ἄλλο.

Ἐλαίου λίτρας δύο, ἁλὸς ἀμμονια-

inungatur, ut, cicatrice obducta, animal consanescat.

De meliceridibus [123].

adacquato, e liscivia due once, pece la metà di una mina, salsume vecchio due libre, miele una mina: pestato il salsume con le altre cose, posto in un mortajo, ne usa.

Altro.

Feccia di olio, antico olio cedrino quanto basti, e così di sugna vieta col vino, e con la calce viva: stemperata ciascuna di queste cose, e sufficientemente bollita, l'adopera con la feccia di olio.

Altro.

Aglio sei once, solfo quattr' once, iride tre once, sugna porcina due libre: il tutto bollito nell'aceto, ne usa.

Della lingua tagliata.

Se la lingua sia tagliata, fa bollire la galla nel vin negro: ovvero fa empiastro di pesta centaurea.

Rimedio agglutinante.

Meschiato quanto basti di vin cotto, adraganti, croco, pine, calcite, uova: ne usa.

Come si debba curare la morsicatura dello scorpione, o altro rettile.

Si deve imbrattare la parte offesa con lo sterco di bove, o col solatro pesto, o col titimalo, o col seme di giusquiamo, o coll' allume, o coll'

afronitro , o col sale abbrustolito . Qualunque di queste sostanze sia applicata, recherà giovamento . Sanerà ancora l'acqua colata per un pannicello, e gettata nelle narici . Generalmente per quasi tutti i morsi de' rettili, i medesimi rimedj sanano per lo più gli uomini , e sono salutari al bestiame . Inoltre per le malattie parziali , è giovevole ai cavalli , agli asini , ed ai muli la cavata di sangue .

IL FINE.

N O T A E.

1 Malis, μάλις, est jumentorum morbus, qui a pravorum humorum colluvie nasci videtur. Veteres hippiatrici hoc vitium in varia diviserunt genera, ob varia symptomata, et partem male affectam. Absyrtus, et Hierocles malidem partiti sunt in *humidam*, *siccam*, *articularem*, *et intercutem*: Theomnestus vero in *aridam*, et *humentem*. Humida ex humore pituitoso, tenui, albo, et aquae fere simili, qui ex naribus manat, cognoscitur. Est curatu facilis. Intercus producit scabiem, et remediis abigitur. Sicca nihil per nares emolitur, et omnia respuit auxilia. Animal hac malide detentum brevi mortem oppetet; etenim cibum, et potum sumit, tamen macie, et languore conficitur, coctionis munere non fungitur, nares distendit, gravem spiritum efflat, ilia habet in tympani modum intenta, aliisque angitur symptomatis. Articularis, quae a nonnullis destillatio, et a Romanis suspirium vocabatur, articulorum cruciatibus comitatur. Ejus notae sunt; sanies e naribus ejecta crassa, foetida, et lutea, capitis gravitas, stertor cum sibilo, macies, cibi

fastidium, claudicatio, et quacunque corporis parte procumbit animal illic dolorem sentit. Hoc vitium Graeci malidem appellarunt, vel ob pituitosam, et albam materiem, quae naribus effluit, mutuato nomine ab ovillo vellere, quod μαλλὸς ipsi vocant; vel a μάλη, idest axilla, cum malis hanc partem in primis tentet.

2 In multorum morborum curatione magni faciebant veteres lauri baccas, quae plus quam folia calfaciunt. Tabi, orthopnoeae, omnibus thoracis rheumatismis, aliisque morbis ipsas prodesse opinabantur, ut patet ex Dioscoride. Continent oleum volatile, et fixum oleum in semine. Ex maturis baccis nunc laurinum oleum extrhaitur ad liniendum, ut in paralysi; quod olim tanquam remedium carminativum adhiberi consuevit.

3 Graeci a Romanis fortasse habuerunt unciam, quam vocant οὐγχίαν, quaque utebantur Romano more divisa. Parum compertum est de tempore, quo primum est adhibita. Uncia invenitur hoc signo expressa γο̃. Graeci vero etiam hippoiatricis ponderibus usi sunt, quae a communibus differunt, et ab aliquibus mulo-medica appellantur. Nam mina hippoiatrica unciis quindecim constabat; litra drachmis nonaginta; un-

cia drachmis septem cum dimidia; drachma tribus scrupulis, seu obolis sex. Haec differentia apud auctores inquirenda est, qui de Graecorum ponderibus, et mensuris plenius tractant.

4 Aphronitrum, *ἀφρόνιτρον*, a spuma nitri, *ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ νίτρου*, distinguere oportet; non quidem ut aliqui autumarunt, aphronitrum esse genus nitri fossile, spumam vero nitri nitrum factitium; sed ut testatur Galenus 9. *simpl.* florem seu spumam nitri (utroque enim modo, et *ἀφρὸς νίτρου*, et *ἄνθος νίτρου* ab ipso dicitur) albam esse, et triticeae farinae similem: aphronitron vero neutiquam farinae similitudinem habere, sed coactum, compactumque esse. Hoc etiam demonstrat Aetius *lib.2. cap. 60.* inquiens. *Aphronitrum, et nitri spuma invicem differunt, quare spuma nitri est remedium magis siccum, farinae hordeaceae visu proximum. Aphronitrum vero nec farinosum, nec solutum, sed compactum.* Videtur Plinius nullum discrimen inter aphronitrum, et spumam nitri deprehendisse. Martialis etiam sequenti epigrammate nullam differentiam agnoscit.

Rusticus es? nescis quid Graeco nomine dicar?
Spuma vocor nitri. Graecus es? Ἀφρόνιτρον.

Et revera hujusmodi differentia valde exigua esse debet. Veterum enim aphronitrum, et spuma ni-

tri nitratum calcis, sodae, potassae, terrearumque partium miscela fuisse videtur.

5 Vivum sulphur auxiliari equis malide laborantibus ab Auctore existimatum est. Vires vivi sulphuris, videlicet ignem non experti, θείου ἀπύρου, refert Diosc. *lib. 5. cap.* 83. Plinius cum quatuor genera sulphuris adnumeret, inquit *lib.35. cap.15. eo solo ex omnibus generibus medici utuntur.*

6 Myrrha, *σμύρνα*, est gummeus succus concrescens, qui parum resinae, et olei aetherei continet. Cuiusdam arboris ramis, vel truncis incisis extillat, quae in Arabia, vel Abyssinia fruticat, ad aliquam forsan mimosae speciem pertinens. Myrrhae frustula sunt lutea, rubra, subpellucida, albidis venis notata, odorem nimis fragrantem emittunt, et sapore amaro pollent. Vetusti hippiatrici remedium esse myrrham pro malide judicabant, ut antiqui medici pro morbis pectoris, aliisque affectionibus; nec ab eorum judicio aetate nostra dissentitur. Nam ut anthysterica, stimulans, stomachica, antiseptica, vulneraria, et optima in pulmonum vitiis, et in phthisi recensetur; quamvis haec virtus a multis sit impugnata.

7 Crocomagma, κροκόμαγμα, est unguenti crocini retrimentum. Μάγμα enim materiam crassam, et faeculentam indicat, quae post factam expressionem remanet. Variae sunt differentiae, variique crocomagmatis usus, ut apud vetustos auctores videre est.

8 Tradit Gal. 1. *de antid.* irim Illyricam omnibus praestare. Verum Theophr. *9. hist. cap. 7.* jam dixerat irim laudatissimam esse, quae nascitur in Illirico, et quidem non in maritimis locis, sed mediterraneis, et magis ad septentrionem sitis. Ex hac sententia Plinius *lib.21. cap.7.* inquit: *Iris laudatissima, in Illirico, et ibi quoque non in maritimis, sed in sylvestribus Drilonis, et Narone*. Sic etiam ait Nicander in *Ther.*

Ἶρίν θ' ἣν ἔθρεψε Δρίλων καὶ Νάρονος ὄχθη·

Versio Gorrhaei

tum natam Naronis irin
Marginibus, quaque Illiricis Drilo perfluit agris

Drilo, et Naro sunt duo flumina in Dalmatia Illirico vicina, teste Ptolomaeo.

9 Ex paucis relatis symptomatis, et absurda curatione affectionis pulmonum, de qua Hipp. Vet. loquitur, haud clare patet, quae ipsa sit. Con-

jectari potest, eam esse rheumaticae indolis, et ab humorum lymphaticorum in pectore congerie productam, ex qua respirandi difficultas, et humidarum materierum ex naribus profluvium nascuntur.

10 Latinorum hemina est Graecorum κοτύλη, quamvis hae mensurae aequales prorsus non sint. Nam Attica cotyla uncias novem Italicas, hemina vero decem capit. Illa sextarii dimidio respondet, unde ἡμίξεστον quoque vocatur, ut Interpres Aristoph. in *Plutum* scribit, et Rhemnius Fannius hisce versibus:

At cotylas, quas, si placeat, dixisse licebit
Heminas: recipit geminas sextarius unus.

Adnotandum hic est ut supra de ponderibus, hippoiatricas mensuras eodem esse nomine cum Atticis, verum ab his differre, ut et a georgicis. Inquiunt enim auctores, qui de Graecorum ponderibus, et mensuris scripserunt, ex auctoritate cujusdam Graeci scriptoris incerti nominis, hippoiatricas mensuras se habere ad medicas proportione supra tertiam, idest plus quam illas tertiam partem capere. Id monitum esse volo pro reliquis etiam mensuris, de quibus verba facere opus erit.

11 Seritur ervum pro pecoris pabulo, quia bene alit. Dicitur ὄροβος quia boves eo vescuntur, et saginantur. Inquit Diosc. *lib. 2. cap.* 131. *boves, autem saginat, si elixum apponatur*. Gal. *lib.* 1. *de aliment. facult. Boves pascuntur ervum apud nos, aliasque multas gentes, in aqua prius edulcoratum; homines vero ab hoc semine prorsus abstinent. Est enim insuavissimum, et mali succi. In magna tamen fame, quemadmodum Hippocrates quoque scripsit, necessitate coacti, ad ipsum nonnunquam accedunt.* Olim vaccis dabatur ervum, quod lac augere credebatur. Aristoteles *lib.* 3. *hist. animal. cap.* 21. *Pabuli genus aliud lactis copiam extinguit, aliud auget, ut cytisus, et orobi -- Ervum praegnantibus non prodest, pariunt enim difficilius.* Ad expiationes, et piacula antiqui usi sunt orobo, teste Plutarco.

12 Hordeum Graeci κρίθην dixerunt, quasi κριτὸν, secretum. Nam hordeo opus sunt multa, ut separentur glumae. Antiquissimis temporibus hordea ὀλαὶ et οὖλαι dicta fuere, quia, ante molas inventas cum sale edebantur integra. Homerus hordeum κρὶ in neutro genere dixit Ὀδυσ. δ. et Ἰλιάδ. ϑ. Latini hordeum forsan dixerunt, ab oriendi celeritate, quod ante caetera frumenta germinet. Bonum est alimentum, et multum me-

dicinae usibus inservit, ut unusquisque apud auctores colligere potest.

13 Suillum cerebrum auctor praescribit equis, quibus pulmo negotium exhibet. Cerebrum enim quorundam animalium ceu praestans medicamentum apud veteres valebat. Ex. gr. illud capreoli adversus venena, morsusque bestiarum virulentarum optimum iudicabatur; terrestris leporis contra metum edebant, vel id affrictu aut cibo infantibus praebebant, ut expedite dentes prodirent; pulli, et caponis in vino contra serpentium morsus bibebant; et ita de cerebro alias huiusmodi ineptias in eorum scriptis complexi sunt.

14 Apud Galen. Aldrov. aliosque descriptio prolixa gallinae, et galli invenitur. Ex his apparet, in aliquibus morbis vario modo gallo veteres usos esse. In affectione pulmonum, de qua auctor verba facit, gallum tam incoctum, ut prorsus liquatus sit, cum vino infundere jubet, ob suam molliendi, et incidendi virtutem. Mangetus in *Biblioth. pharmaceutico-medica* sub verbo *Gallina* breviter loquitur de Gallo vetere, ut de ejus juris usu in variis morbis.

15 Vinum dulce, *Ὀῖνος γλυκὺς*, differt ali-

quo modo a passo, quod Graece dicitur γλυχὺ. Vinum enim dulce appellatur, quod aliquam habeat dulcedinem, ejusque vel nativi, vel factitii multa cognoscuntur genera. Passum vero, seu γλυχὺ unum genus vini constituit, quod ex uvis vel in area sole siccatis, vel in sarmento torrefactis conficitur. Hoc vinum Graeci dulce simpliciter vocant, ob summam saporis suavitatem.

16 Sextarius, ξέστης. Galen. adnotat hanc mensuram olim non fuisse apud Athenienses, sed postea a Graecis acceptam. Sextarius vero Romanus uncias viginti, Atheniensis octodecim pendere creditur. Duas heminas continet, ut ex versiculis Rhemnii Fannii supra adnotatis apparet.

17 Gramen, *Triticum repens L.* dicitur graece ἄγρωστις ab agris, qui ἄγροι nominantur; *παρὰ τὸν ἄγρον* et ἵστημι, quia in agro consistit. Diosc. *lib.* 4. *cap.* 26. sic describit gramen, quo medici utuntur. *Gramen viticulas habet geniculatas, per terram repentes, quae a suis articulis radices spargunt dulces, et internodiis distinctas, folia acuminata, dura, lata, instar arundinis parvae, quibus boves, et jumenta pascuntur.*

18 Herba medica, *medicago sativa L.* graece

dicitur *μηδίκη*, quod, ut inquit Plinius *lib.* 18. *cap.* 16. etiam Graeciae fuerit externa, et a Medis per bella Persarum advecta. Strabo *lib.* 11. de regione Media agens ait: *et herbam, quae maxime nutrit equos, cum in ipsa abundet peculiariter, medicam vocamus*. Diosc. *lib.* 2. *cap.* 172. ita eam describit: *Medica dum recenter erumpit, trifolio pratensi similis est. Cum procedit foliis fit angustioribus, caules edens trifolii, et siliquas ad instar corniculi intortas, quibus semen adnascitur lentis magnitudine*. Medica est ab animalibus, et praesertim bobus valde expetita, quibus est salutaris, dummodo ab immodico se abstineant esu. Hinc merito Plinius *loc. cit.* scribit: *Dari non ad satietatem debet, ne deplere sanguinem necesse sit*.

19 Interdum oportet equis sanguinem mittere, et aptum ipsis praebere cibatum, ne in morbos incidant, incolumesque serventur. Ideo optimum est cognoscere equorum temperamenta, ut alimentum rite assignetur, et sanguinis missio, cum deceat, instituatur. Et revera quamvis sanguinis quantitas determinari non possit, quae morbis occasionem praebeat, tamen certum est, in animalibus, quae inculpata gaudent valetudine, sanguinem esse bene constitutum, et aliquando ita abundare, ut functiones laedere valeat: igitur ad im-

impediendum quominus morbi nascantur, qui a plethora produci solent, sanguis mittendus est. Equi vero, qui sunt debiles, et aegrotantes in campum gramineum ducendi erunt, ut humores renoventur, et robustiores evadant.

20 Hordeatio, quae Graecis dicitur Κριθιάσις, proindeque Κριθιᾷν hordeatione laborare, juxta veteres hippiatricos est morbus, in quem equi incidere solent, si longo confecto itinere, aut cursu hordeum devoraverint. Tunc enim crudi humores generantur, qui subeunt tergus, et sensim per totum corpus expanduntur. Haec sunt huius morbi symptomata. Equus convellitur, non incedit, nec artus flectere valet, magno enixu mingit; prosternitur; nec surgere desiderat, et decumbens pabulum sumit, oculi male afficiuntur, et inde caligo ipsis offunditur, os aphtis vitiatur, valde calide expirat, et ejus venae tumescunt. Qui de huius aegritudinis curatione, quae olim instituebatur, percontari cupiat, Absyrtum, et Hieroclem consulat de hordeatione.

21 Αὐχενίζειν, cervicem incidere significat. *Αὐχενίζε : τὸν τράχηλον ἀπέκοπτεν. ἐλαιμοτόμει* Schol. *Sophocl. in Ajac.* (pag. mihi 19.) In Hippiatria vero indicare (inquit Budaeus) loro caput equo-

rum complecti, et adstringere ad hoc ut venae intumescant, et sanguis detrahatur scalpro.

22 Mentem adjicere non debemus ad ea, quae auctor proponit, quoad armentitiae conceptionem, utpote prorsus inutilia, et empyrica. Cautiones adhibendae, ut armentitia procreet, apud hodiernos georgicos, et veterinarios ingenio praestantes inveniuntur. Verum indubium est, frustra artem agere natura invita. Foeminae enim animalium, ideoque etiam equa remediis non indigent, ut certo generent; et quaedam signa exhibent, quae eas in venerem rapi, et ad conceptum naturaliter disponi manifestum faciunt. Equae maxime commoventur, exiliunt, argutis oculis, et igne micantibus aspiciunt, insolitos hinnitus edunt; earum loci genitales magis rubescunt, et ex his vel mucus, vel sanguis, vel humores sanguinei emittuntur. Haec foenomena vere et autumno accidunt, quando scilicet equae magno oestro, et fructuose admissarium recipiunt.

23 Acetabulum Romanum par erat Graecorum mensurae cavae, quae ὀξύβαφον dicebatur. Plinius *lib.* 15. *cap. ult.* adfirmat acetabulum fuisse quartam heminae partem.

24 Drachmam, sicut unciam, cujus octava pars est, Graeci a Romanis fortasse mutuati sunt. Drachma sex obolis constabat. Suidas ἐξ ὀβολῶν.

25 Quid sit hipporrhisum, ἱππόριζον, plane assequi non potui; quamvis non dubitandum puto, quin id sit aliqua planta, vel radix hoc vernaculo nomine, auctoris aevo, appellata. Constat ex duabus radicalibus ἵππος, equus, et ῥίζα, radix: quasi radicem equi denotaret; vel radicem magnam; siquidem mos erat apud Graecos vocabulis praeponere *hippo* ad magnitudinem indicandam: ex. gr. hipposelinon Latinis est magnum appium. Vid. Fuchsium in *hist. plant.* et Scaliger. in *animadvers. ad Theophrast. hist. plant. lib. 6. cap. 5. sub verb.* φλέως.

26 Legitur in textu σμύρνης ὁλκάς β. Ὁλκὴ est idem ac drachma. Hoc testatur Galen. *l. de ponder. et mensur.* et Palaemon scribens:

Holceque a drachma non re sed nomine differt.

27 Struma, χοίρας, est glandularum morbus a speciali cacochimia productus. Invadit aliquando dumtaxat glandulas faciei, et colli; aliquando etiam plures glandulosas partes, et efficit tumores duros, indolentes, racemosos, nodosos, et inaequales.

Struma lento gradu suum cursum absolvit, est valde tenax, et in ulcera pravae indolis, scirrhos, et cancros abit.

28 Candens ferramentum graece καυτήριον dicitur. Cauterium est quodcumque adurere valet, et in potentiale, et actuale dividitur. Primum est substantiis causticis compositum, ut solidas partes colliquet: alterum est ignis, aut materia ignita, ut ferramentum candens. Hoc, inquit Galenus, aereum calamum perforatum in fundo esse, per quem aliud ferrum candens inductum adurit. Pro diversitate vero partis comburendae figura, forma, et magnitudine differt.

29 Aspera arteria, ἀρτηρία. Olim arteriae nomine appellabantur tantum canales illi cartilaginei, et duriores qui ad pulmonem excurrunt, ut testatur Gal. Ideo raucedo, quae propric est asperae arteriae affectio, ἀρτηριακὸν πάθος dicitur; remedia vero ad hanc vocis laesionem, et vitia ejusdem asperae arteriae, ἀρτηριακά, *arteriaca* nominantur.

30 Vocem, κεδρίαν, *cedriam*, interpretatus sum oleum cedri. Cedria est celebris pix a quadam cedro magna, κεδρελάτη dicta, erumpens; quae

proprie loquendo est cruda cedri lacryma. Nonnulli asserunt cedriam a cedrio, seu oleo cedrino, quod graece dicitur *κέδριον*, differre, quia hoc liquidius est, et magis oleosum; ast cedria, et cedrium ab auctoribus indiscriminatim accipiuntur. Cedria valde calida est, et sicca; idcirco humiditates absumit, quae in cadaveribus putrefactionem sollicitant. Nicandri Scholiastes, *διὸ καὶ τοὺς νεκροὺς ἀσήπτους ποιεῖ τὸ νοτρὸν, καὶ ῥευστικὸν ἐξωθοῦσα. ὅθεν καὶ νεκρῶν ζωὴν ἔνιοι αὐτὴν ἐκάλεσαν*. h. e. *Propterea mortuos incorruptos facit, humorem, et fluxum expellens: unde aliqui mortuorum vitam appellarunt*. Caeterum ob hanc eximiam calfaciendi, et siccandi facultatem pelles viventium corrumpit, et carnes adurit. Verum non solum cadavera, sed etiam libri, et quidquid erat posteritati transmittendum, cedria olim ungebatur. Plinius *lib.*3. *cap.*13. de libris Numae, secundi Romanorum regis: *Et libros cedratos fuisse: propterea arbitrarier tineas non tetigisse: in his libris scriptae erant philosophiae pythagoricae*. Antiquis temporibus cedria, et oleum cedrinum variis morbosis affectibus tum hominum, tum animalium auxilio fuere, ut ex Diosc. *lib.*1. *cap.*105. aliisque antiquitatis scriptoribus colligitur.

31 Ficus sunt generatim dulces, suaves, nu-

trientes, et cum exiccantur superficie tenus saccharum emittunt, magis sapiunt, multisque facultatibus pollent. Sunt expectorantes, emollientes, alvum moventes, tussi veteri, diuturnisque pulmonum affectionibus convenientes, et a veteribus sub cataplasmatis forma impositae, ut tumores discutientes, et maturantes laudatissimae reperiuntur. Durans Romanus medicus hanc versibus ficuum scripsit historiam.

Calfacit, humectat, abstergit, discutit, alvum
Cit, lotiumque simul ficus, tum menstrua ducit;
Maturat strumas, emollit; concoquit, atque
Expurgat renes, tussi veterique medetur;
Ast matura recens alvum solvitque, cietque
Sudorem, papulasque, sitimque, et tormina sedat;
Sicca auget vires, alvo utilis, arteriaeque,
Renibus, et vesicae, necnon gutturi et ipsi,
Hydropicisque, et anhelis valde est apta, caducis
Et morbis; tussi et veteri, vitiisque medela est.
Pulmonum, iecorique obstructis, atque lieni;
Pernio cedit ei; tum ventrem haec flatibus implet,
Excitat et scabiem, et pruritum tum subinanem,
Sublaxam et carnem generat; nimio illius usu
Hectica fit scabies, et lendum copia, tandem
Ante cibum ficus bene sit matura, bibatur
Lympha deinc frigens, poterit nihil inde nocere,
Dum ne sint nimiae; immodicoque fruaris in usu.

32 Libra, λίτρα. Litra a Medicis fuit adhibita unciis duodecim, seu nonaginta sex drachmis composita, uti constat ex Galen. *de pond. et mens. cap.* 1. *et* 2. Litra vero hippoiatrica nonaginta drachmis constabat, ut supra diximus.

33 Nitrum, νίτρον, veterum videtur esse alchali minerale nativum, quod copiose in Aegypto invenitur circa confinia Nili; ubi efflorescentes stirias vel rubescentes, vel caerulescentes reperiri asserunt; idcirco ab aliquibus Niliacum vocatum est. Hoc nitrum recentiorum carbonati sodae impuro respondet. Aegyptii ad impediendum quominus mortuorum corpora putrefierent, hoc sale ea condere solebant.

34 Galbanum, χαλβάνη, pro usibus medicis olim frequentius adhibebatur. Dioscor. *lib.* 3. *cap*, 97. *Galbanum liquor est ferulae in Syria nascentis, quod aliqui metopium vocant. Laudatissimum est quod thuris effigiem praebet, cartilaginosum, purum, pingue, minime lignosum, habens aliquid admixti seminis, et ferulae, odore gravi, neque valde humidum, neque nimis aridum.* Galbanum e trunco bubonis galbani extillat. Ex Persia, aliisque orientalibus plagis nobis concretum adfertur. Est molliusculum, albicans, aetate vero flavescens, et

subrubrum, odorem emittit ingratum, et saporem habet amarum, et acrem. Excalfacit, membra paralytica roborat, convulsiones solvit, et tumores discutit.

35 Propolis, πρόπολις, est gluten flavum, odorum, cerae proximum, quod in alveariorum foribus invenitur. Diosc. *lib.2.cap.106.* ita inquit de propoli. *Propolis eligenda flava, odorata, styracem referens, in summa ariditate mollis, et mastiches modo ductilis. Valde excalfacit, et evocat, et aculeos infixos extrhait. Prodest suffita in tussi vetere. Imposita tollit impetigines. Circa alveariorum oscula cerosae naturae reperitur.*

36 Pix, πίσσα, est resina plus, minusve atra, odorosa, pinguis, splendens, laevis, quae vel sponte a pinu picea guttatim effluit, vel incisionibus obtinetur. Calfacit, et tenaces humores resolvit.

37 Axungia, ἀξούγγιον, sic ab axium rotarum unctione dicta, est substantia pinguis ab animalibus desumpta. Emollit, et lenit. Frequentius externe pro unctionibus, quam interne venit in usu. Vid. Manget. in *Biblioth. pharmaceutico-medica* sub verb. *Axungia*.

38 Hordeacea farina, χριθίνον ἄλευρον, tumores emollit, et resolvit. Una est ex quatuor farinis emollientibus.

39 Hydromeli, ὑδρόμελι, est aqua melle mista, quae aqua mulsa dicitur. Unusquisque apud Columellam, Palladium, aliosque, varias huius praeparationes reperire potest.

40 Malagma, μάλαγμα, est idem ac cataplasma, quod vim habet partes praeter naturam induratas emolliendi. Mediocriter calidum esse debet ut, quod concrescit in partibus, quibus admotum fuerit, facilius fundat. Usus enim malagmatis est duritiem partium discutere. Vid. Gorr. *Def. med.*

41 Ammoniacum, ἀμμονιακὸν, ab Africa olim deportabatur. Liquet ex Plinio *lib.* 12. *cap.* 23. ab Ammonis oraculo nomen habere, juxta quod arbor nascebatur, quam meteopion vocabant. Diosc. *lib.* 3. *cap.* 98. inquit. *Ammoniacum est ferulae succus, quae in Libia juxta Cyrenem nascitur. Totus cum radice frutex Agasyllis vocatur. Probatur bene coloratum, ligni, et calculorum expers, thuris similitudine, granis, densum, sincerum, nullam sordem habens, castoreum odore imitans, et gustu*

amarum. Materiae medicae scriptores suspicantur ammoniacum ex umbellata stirpe produci, et vix indicant ex Thracia, et ex Indiis orientalibus ad nos exportari. Ammoniacum est gummi resina cujus massae exterius sunt luteae, interius albidae, et aetate flavescentes. Si in ignem injiciatur flammas concipit. Habet odorem foetidum, et acutum, et saporem amarum, et nauseosum. Calfacit, attenuat, tumores, et duritias resolvit.

42 Laser est succus silphii. Frustra apud herbarios peteretur silphium a Graecis συλφίον dictum. In variis regionibus nascebatur, sed celebratissimum erat Cyrenaicum. Figura silphii in Cyrenensium nummis repraesentatur, nec eam aliunde videre possumus, ut inquit Spanhem. *de praest. et usu numism. pag.* 91. cujus verba apposite hic referre libet: *Qualis olim fuerit figura silphii, aut laserpitii, decantatae adeo apud veteres plantae, frustra apud herbarios quaeras, nec aliunde hodie, quam ex nummis disces. Haec enim planta, quae vel sola Cyrenaicam regionem per plura saecula nobilitavit, unde et laserpiciferas Cyrenas vocat Catullus, et cuius laseris aliquot pondera in publico populi Romani aerario recondita narrat Plinius, jam ante illius, et Strabonis etiam aetatem, si eisdem credimus, apud Cyrenenses defecerat, cujus rei causam hic in barbaros. lib.* 11. *ille in pu-*

*blicanos lib. 8. cap. 3. transfert ... Silphium in Cyrenensium nummis vulgo signatum fuisse manifeste etiamnum docent argentea, et vetusta illius tractus numismata . . . Unde etiam non piguit magnum Solini interpretem nummos huius generis afferre, quo nobilissimae illius plantae vulgo ignotae figuram ex iisdem repraesentare Tom I. pag.3 9. To. II. pag.*1058. Magni existimabantur omnes partes silphii, ut ait vetus Scholiastes Aristophanis de silphio, καὶ τὸ φύλλον δὲ αὐτοῦ, καὶ ὁ καρπὸς, καὶ ὁ καυλὸς, καὶ ὁ ὀπὸς, καὶ ἁπλῶς τὸ πᾶν αὐτοῦ πολλῆς τιμῆς ἄξιόν ἐστι h. e. *Et folium, et fructus, et caulis, et succus, verbo ut dicam, omnes partes magno in honore sunt*. Verum succus, qui a Latinis laser dicitur, reliquis partibus erat magis habitus, ut patet ex Diosc. *lib.3. cap.94.* πρακτικώτατος δὲ ἐστιν ὁ ὀπὸς, εἶτα τὰ φύλλα, εἶτα ὁ καυλὸς, *efficacissimus est succus, mox fructus, postremo caulis*. Hic liquor duobus modis obtinebatur, scilicet vel a radice defluebat, vel capiebatur a caule, unde nominibus ῥιζίας, *rhizias*, et καυλίας, *caulias* appellavit Theophrastus *lib. 6. hist. plantar.* et Plinius *lib. 19. cap. 3.* Diosc. *loc. cit.* sic huius succi notas describit. *Colligitur laser e radice, atque caule scarificatis. Praefertur vero rufum, translucens, myrrhae aemulum, odore valens, non porraceum, nec saporis immitis, et asperi; quod dum liquescit,*

facile albescit. Cyrenaicum si quis tantillum degustarit, madorem toto corpore ciet, et odore blandissimo; ut ne os quidem gustanti nisi paulum spiret. Medicum, et Syriacum viribus minus valent, et magis virosum reddunt odorem. Laser omne priusquam siccescat, adulteratur sagapeno, aut fabae farina; quod gustu, odore, visu, et dilutione deprehenditur. Quoad silphii etymologiam, dubitatur, an ita dictum fuerit, quod verno tempore emittat frondes; non aliter ac insectum silpha tunc senectam exuit, novaque cute se contegit: An vero, quod folia tanquam culex splendeant, cuius genus est silpha.

43 Malagma acopum, *μάλαγμα ἄκοπον*, idest cataplasma corroborandi vim habens. Etenim malagma est idem, ut dictum est, ac cataplasma. Acopum autem in genere est quidquid lassitudinem reficit.

44 Opopanax, *ὀποπάναξ*, est succus gummiresinosus, qui in calidis regionibus a pastinaca opoponace aestatis tempore erumpit, factis incisionibus prope radicem. Ad nos pervenit in lacrymas, vel glebas friabiles, extrinsecus luteas, intus vero albicantes. Graviter olet, et saporem

valde amarum, et nauseantem habet. Excalfacit, et resolvit.

45 Resina pinus, ῥητίνη πιτυΐνη, obtinetur praecipue e generibus pinorum sylvestrium, inflictis vulneribus longitudinalibus in cortice. Cum haec aeris actione densatur pinguis resina pinus nuncupatur. In lebete autem fusa, et inde colata, fit purior, et majorem consistentiam acquirit: haec resina sicca dicitur. Colorem habet flavescentem, odorem resinosum, et saporem ingratum. Excalfacit, et discutit.

46 Colophonia, κολοφωνία. Sic fuit a veteribus dicta resina pinea, quae e Colophone deferebatur, unde cognomentum obtinuit. Vid. Diosc. *lib.* 1. *cap.* 92. Inquit Manget. *Biblioth. pharmaceutico-medica: Caeterum Colophonia variae significationis est: vel enim resinam crudam ex pinea pinove siccam denotabant Chiae mastiche persimilem, e Colophonia advehi solitam, vel resinam liquidam ex iisdem arboribus ab eodem loco missam.* Hodie Colophonia ex Terebinthina fit: nam haec habetur coquendo quod de Terebinthina post olei distillationem remanet. Pro suffitibus, et emplastris adhibetur.

47 Buccinae marinae, graece dicuntur κηρύκες θαλάσσιοι; verum apud auctorem legitur κηρύκια θαλάσσια. Haec animalia sunt è genere testaceorum turbinatorum, quae in anfractum intorta sunt. Dividuntur in buccinas magnas, et parvas, quarum concha cingitur spira tuberculis exasperata. Buccinarum descriptio prolixa apud Ul. Aldrov. *lib. 3. de Testac. cap. 6.* reperitur. Pro medicinae usibus earum testae cremabantur. Inquit Diosc. *lib. 2. cap. 5. Eadem praestant buccinae concrematae, sed magis urunt.* Idem *lib. 5. cap.* 133. docet, quomodo è buccinis calx fiat.

48 Tussis, βὴξ, ab auctore non definitur; tamen conjici potest, eam a simplici rheumatica irritatione pendere in partibus respirationi adsignatis. Aliquando enim haec tussis species ab excreatu mucci ex ore, vel naribus consociatur. Tussis commotione muccosi humores in os, et nares propelluntur, qui calore loci, et mora inspissantur, et sub specie materiei puriformis prodeunt. Loca humida, frigidae et atmosphericae constitutiones, aut frigidae et simul humidae, nebula, effraenus cursus ec. hanc tussim in equis efficere valent.

49 Tragacantha, τραγάκανθα, est gummi, quod

in astragalo tragacantha, sub radicum cortice congeritur, ex quo disrupto vel sponte, vel vulneribus, insrar alborum vermiculorum exit. Hoc gummi solutum in aqua mucilaginem exhibet, est pellucidum, laeve, gracile, sincerum, et subdulce. Quoad suas proprietates cum gummi arabico perfecte convenit, ita ut morbis pectoris praecipue juvet: quamobrem bechicis, catapotiis, et trochiscis commiscetur.

50 Myrica, *μυρίκη*, *Tamarix gallica L.* est arbustum valde cognitum. Amat loca humida, et fluminum ripas, nec tantum apud paludes reperitur, ut vult Diosc. *lib.* 1. *cap.* 116. Juxta Galen. *lib.* 7. *fac. simpl.* myrica vim habet abstergendi incidendi, et aliquantisper adstringendi. Fabulae tradunt Cinyri filiam in myricam conversam fuisse, unde huic nomen ἀπὸ μύρεσθαι idest lugendo datum fuisse aliqui credunt.

51 Multorum animalium adipe utebantur veteres, quia adeps ob partes, quibus stipatur, animalis naturam, temperamentum, aetatem, et speciem in suis proprietatibus differt; ut confirmat Gal. *de comp. medic. per gen. lib.* 7. Suillus adeps ad tussim utilis esse credebatur. Nam huiusmodi adeps est liquidissimus, effluit ut oleum, et hoc

magis emollit, concoquit, discutit; dolores sedat, acrimonias humorum temperat, et inflammationes mitigat. Vid. Manget. in *Biblioth. pharmaceutico-medica* sub. verb. *Axungia suis*.

52 Suillum adipem per triduum in puerili urina madefactum equorum tussi auxiliari credit auctor, cum ex ore et naribus saniosa materies effluat. Huiusmodi urinam jam Dioscorides asseruit orthopnoicis prodesse, quod non affirmat Galenus. Antiqui crassius sedimentum in hac, quam in aliis adnotarunt; quapropter Gal. *de urinis* scripsit. *In puerili vero aetate necesse est grossiorem esse hyposthasim propter edacitatem puerorum, et motus eorum importunos et inordinatos*.

53 Vinum album, οἶνος λευκὸς. Diosc. *lib.* 5. *cap.* 8. *Album est tenue, stomacho utile, et facile in membra distribuitur*. Et inferius. *In secunda, et adversa valetudine eligibilius est album*.

54 Foenum graecum, τῆλις, *Trigonella foenum graecum L.* est herba, quae in seminibus multum mucilaginis includit. Dicitur a Graecis τῆλις, quia ejus cornua in longum extenduntur, nam τῆλε longe significat. Foenum graecum ob siliquarum formam vocatur etiam βούκερας, aut βούκερως.

Apud Nicandrum in *Alexiph.* sequens invenitur descriptio, cujus etiam versionem Latinam Gorrhaei, et Italicam Salvinii referre placuit.

Ἄλλοτε βουκέραος σιτηγόνου ὄρρα κεραίας
Εὐκαμπεῖς πετάλοισιν ὑπηνεμίοισιν ἀέξει.

Aut vescae siliquae, solitas proferre recurvos,
Sub levibus foliis, referentes cornua fructus.

Ed or del bucero, a mangiare
Buono, che tralle mosse al vento foglie
Le ben attorte corna alleva, e cresce

Quoad proprietates inquit Diosc. *lib.* 2. *cap.* 124. *Foenum graecum ejusque farina molliendi, ac discutiendi vim habet.* Haec farina ex quinque resolventibus adnumeratur, et emplastris ceratisque additur.

55 Palmula, φοίνιξ. Hoc Graecum nomen arborem palmae indicat, et ipsum fructum, ut tradit Galen. *lib. de cibis boni, et mali succi cap.* 4. Palmula est fructus dulcis nutriens, et expectorans, a recentioribus Graecis δάκτυλος, dactylus vocatus. Veteres palmae fructum βάλανον balanum, et φοινικοβάλανον, phoenicobalanum appellarunt; verum interpretes balanum immaturum, phoenicobalanum maturum fructum nuncuparunt. Diosc. *lib.* 1. *cap.* 148. distinguit phoenicobalanos a fructu viridi, quem πῶμα, poma vocari

refert. Ita inquit: *Palma in Aegypto nascitur. Ex ea vero fructus autumno colligitur, medio maturitatis vigore, Arabici myrobalani similis. Poma dictus, colore viridi, et odore mali cotonei. Quod si ad maturitatem pervenire sinatur, phoenicobalanus fiet. Est autem ille acerbus, et adstringens, contra alvi, foeminarumque profluvia in vino austero bibitur. Haemorrhoidas sistit, et vulnera illitu glutinat. Phoenicobalani recentes plus siccis adstringunt.*

56 Omphacinum oleum, *ὀμφάκινον ἔλαιον*; illud dicitur, quod ex adhuc immaturis oleis exprimitur. Huiusmodi oleum erat a veteribus valde adhibitum, ut colligi potest ex Diosc. *lib.* 1. *cap.* 29.

57 Vinum aminaeum, *ἀμιναῖος οἶνος*. Galen. *lib.* 1. *de antid.* distinxit vinum aminaeum vel proveniens in collibus Neapoli vicinis, quod est aquosum, tenue, firmum, et austerum; vel in Sicilia, vel in Bithynia, utrumque pariter aquosum, et tenue. Bacc. *de nat. vin. hist. lib.* 5. tradit vinum aminaeum aureum esse et perspicuum, ori gratissimum, odorum, substantiae aquosae, navigationem non facile pati, sub valde calida tempestate non consistere, stomacho utile, urinas ciere, nec hepar, renes, et caput offendere.

Vites aminaeae inter generosas adnumerantur. Plinius *Nat. hist. lib.* 14. *cap.* 2. inquit: *Principatus datur aminaeis propter firmitatem, senioque proficientem vini ejus ubique vitam.*

58 Luxatio, seu dislocatio est integra remotio unius ossis ex propria particulari sede, cum ejus actione impedita, vel laesa, quin abscindantur ligamenta. Si vero non integra accidat remotio a propria articulari sede, tunc est subluxatio, seu luxatio imperfecta. Ad luxationes deprehendendas, et curandas necesse est structuram partium, nec non generalia, et specialia luxationum signa cognoscere. Itaque auctor aliqua signa luxationis humeri curationi praemittit.

59 Non indicat auctor cujus naturae sit armorum dolor, cui mederi studet. Tamen ex curatione facta muscularis affectio rheumatica videtur esse, cum remedia, quae dolentibus partibus admovenda sunt, vim habeant resolvendi.

60 Quid sit autolycium, αὐτολύκιον, nescio; tamen conjectura prospicere liceat, hoc idem esse ac lycium. Etenim Graecum pronomen αὐτὸ in verborum compositionibus, ipsum met significat; ideo autolycium ipsum met lycium valet, seu

proprium lyçium, quod ut discutiens olim adhibebatur.

61 Veratrum album, ἑλλέβορος λευκὸς, vel ἑλλέβορον λευκὸν, *Veratrum album L.* cujus radice adversus maniam usi sunt veteres, hodie ex pharmacorum numero fere admodum expungitur, et etiam veterinarii in animalium morbis parum quidem usurpant. Diosc. *lib.4.cap.150.* ita describit veratrum album. *Veratrum album habet folia plantaginis, aut betae sylvestris similia, sed breviora, nigriora, et rubescentia; caulem palmi altitudine, cavum, tunicis convolutum, quando arescere incipit, radices multae subjacent, tenues ab oblongo et exiguo capite ceu caepa exeuntes. Nascitur in montosis et asperis.* Vocatur ἑλλέβορος, παρὰ τὸ ἑλεῖν τῇ βορᾷ, quia esu interimit. Latinis veratrum nuncupatur, quia mentem turbat. Persius Satyra prima

Non hic est Ilias Atti
Ebria veratro.

62 Ovi putamen, κέλυφος ᾠοῦ, ex carbonate calcareo, pauco animali glutine, et phosphate calcareo constat. Si vero comburatur putamen, disperditur gluten, et acidum carbonicum hinc nil aliud quam phosphas calcareus basi exuberans remanet.

63 Colocynthis, κολοκύνθις, seu κολοκύνθη, *Cucumis colocynthis L.* crebro apud Graecos, et Arabes usibus medicis inserviebat; ita ut unguentis et emplastris eam videamus adjectam. Haec stirps cucurbitacea habet fructum pomum referentem, cujus medulla est nimis drastica, et tam hominibus periculosa, ut apud nos admodum eviluerit.

64 Cucumis agrestis, σίκυος ἄγριος, aut ἀγριοσίκυος, *Momordica elaterium L.* erat alias pluribus hominum, et animalium morbis usitatum remedii genus. Haec planta fructum habet succo amaro, acri, viscoso, et resinoso refertum, qui vehementer, et periculose alvum movet, et vomitum. Ex hoc fructu extractum paratur amarissimum, a veteribus, nec non a recentioribus experientissimis medicis adversus obstructiones, et hydropes magni factum, quod vero cautissime tentandum est. De cucumere agresti sic loquitur Diosc. *lib.* 4. *cap.* 154. *Cucumis agrestis fructu solo differt a sativo cucumere, quem longe minorem producit, oblongis glandibus similem. Folia, et sarmenta sativi refert; radix autem est candida, et magna. Nascitur in ruderibus, et sabuletis, frutice in totum amaro.* Revera cucumerem sylvestrem, sive asininum habere folia, et sarmenta sativo

cucumeri similia, et fructum differre, omnes botanici affirmant.

65 Hipp. Vet. de illo hepatis dolore agit, a quo conflictantur equi postquam vehementem confecerunt cursum, praesertim vero per loca praerupta, et saxosa. Ante curationem nonnulla adnumerat accidentia, quae tanquam effectus concitati motus considerari debent. Etenim quando exercitatio naturae modum excedit, accidunt foenomena, quae plus, minusve sunt gravia; ut dolores viscerum, et solidarum partium, ob nimiam humorum rarescentiam, et acredinem, et ob defectum tenuissimi humoris aquei, minima vascula leniter irrigantis; pulmonum ruptio, ob respirationem maxime intensam, et humorum immodicam velocitatem; corporis lapsus, ob magnam lassitudinem, quae a motu musculari praetermodum aucto consequitur. Sic alia multa recenseri possent foenomena motui nimio tribuenda.

66 Thus, *λίβανος*. Etiam thuris arbor Graecis dicitur *λίβανος*, ut Theoph. *lib. 9. cap. 4.* Thus est gummi-resina ab antiquissimis temporibus admodum cognita; verum adhuc ambigitur, ex qua arbore manet; quod nemo ex veteribus, aut recentioribus in vastas Arabiae solitudines penetra-

verit, quae thus dant. Veteres non cognovisse hujusce arboris faciem, fatetur Plinius *lib.* 12. *cap.* 14. *Nec arboris ipsius quae sit facies constat. Res in Arabia gessimus, et Romana arma in magnam partem ejus penetravere. Cujus etiam Caesar, Augusti filius inde gloriam petiit: nec tamen ab ullo (quod equidem sciam) latino arborum etiam tradita est facies. Graecorum exempla variant.* Magna contentio est de loco thuris. Aliqui dicunt Arabiam solam, nec tamen universam, sed Sabaeam dictam thus producere: aliqui vero praeter Arabiam multas insulas et regiones hoc abundare scribunt. Attamen thus quod ex Arabia advehitur, tanquam praestantissimum, ut olim, nunc existimatur. Verisimile est λίβανον accepisse nomen a λίβω stillo. Thus calfacit, et subastringit.

67 Cuminum, κύμινον. Hoc vocabulo Graeci denotant plantam, et semen; ut Diosc. *lib.* 3. *cap.* 68. Cuminum inter quatuor semina majora calida adnumeratur. Apud veteres Aethiopicum primum obtinebat locum, ut tradit Diosc. *loc.cit. Cuminum sativum stomacho est utile: sed hoc magis Aethiopicum, quod Hippocrates regium appellavit.* Hodie mihi videtur nunquam a medicis, et veterinariis cuminum praescribi, sed solum condituris inservire.

68 Polemonium, πολεμώνιον. De veterum polemonio disceptatur inter botanicos, ideo quae planta sit etiamnum incerti manemus.

69 Origanum sylvestre ὀρίγανος ἀγρία, *Origanum vulgare L.* Nascitur in montibus, et locis alpinis, ut nomen ipsum ostendit. Est odorum, et ejus folia sunt aromatica, ex quibus oleum volatile extrahitur. De origano sylvestri sic scripsit Diosc. *lib.* 3. *cap.* 34. *Sylvestre origanum, quod panaces Heraclium, alii vero cunilam vocant, ex quibus etiam est Nicander Colophonius, folia habet origani similia, virgultos dodrantales, tenues, in quibus umbellae anethi similes insunt, flores candidos. Radix tenuis, et inutilis.* Diosc. Nicandrum laudat, cujus haec carmina reperiuntur in *Ther.*, quae cum Latina versione Gorrhaei et Italica Salvinii referre fas sit.

Κόρκορον ἠμυόεντα, πανάκτειόν τε κονίλην,
Ἥν τε καὶ Ἡράκλειον ὀρίγανον ἀμφενέπουσι.

non corcorus absit
Fronde jacens humili, non panactaea conila,
Quam quidam Heraclion origanon indigitarunt,

e il grumoloso corcoro,
E la conila panacea, cui dicono
Anco origano Erculeo;

Origanon sylvestre in variis morbis fuit ab anti-

quis, ut efficax remedium adhibitum; nunc autem a Medicis immerito prorsus negligitur.

70 Tetanus, τέτανος, proprie et stricte loquendo, est convulsionis species gravissima, quae totum corpus tenet, unde hoc rigescit, et motu omnino caret. Equi plusquam boves, et oves tetano afficiuntur. Opisthotonus, ὀπισθοτόνος, est altera convulsionis species, in qua posterior corporis pars convellitur. Equi, ut homines, tetano, vel opisthotono laborantes, tetanici, vel opisthotonici vocantur.

71 Myrrha ab antiquis probatissima erat troglodytica. Ait Diosc. *lib.* 1. *cap.* 77. *Omnium prima est quae troglodytica appellatur a loco in quo gignitur, subviridis, mordax, et pellucida*. Plinius autem *lib.* 12. *cap.* 16. *Genera complura. Troglodytica sylvestrium prima*. Troglodytae sunt gentes Aethiopiae Plin. *lib.* 6. *cap.* 29 quae specus habitant. Aliqui credunt Troglodytas populum esse Abyssinorum, prope rubrum mare, et ab indigenis hoc regnum Barnagas esse appellatum. Juxta Isidorum, myrrha troglitis ita est dicta ab Insula Arabiae, in qua melior, ac purior colligitur.

72 Bdellium, βδέλλιον, est gummi-resina, ex

quadam arbore incognita effluens, ex Arabia, et India in offas, et lacrymas advecta. Est bdellium gustu amarum, et acre, odore ingratum, colore subnigrum, et ferrugineum, vel luteum, et nonnihil rubrum; facile liquescit. Diosc. *lib.* 1. *cap.* 80. sic describit. *Bdellium alii madelcon, alii vero bolchon vocant. Lacryma est arboris Saracenicae. Probatur gustu amarum, translucidum, taurino glutini simile, intus pingue, et facile mollescens, lignorum ac sordium expers, in suffitu odoratum, ungui simile.* Olim judicabatur bdellium resolvens, expectorans, vulnerarium &c.; nunc autem ejus usus prorsus obsolevit.

73 Ex omnibus medullis cervina erat laudatissima, ut affirmat Diosc. *lib.* 2. *cap.* 95. Plin. *lib.* 28. *cap.* 9. Galen. *de art. curand. ad Glauc. lib.* 2. *cap.* 5.

74 Cyathus, κύαθος, est duodecima pars sextarii: hinc apud Epiphanium, aliosque invenitur κύαθίζειν, et apud Plautum, et Svetonium *cyathissare*, quod idem est, ac vinum alicui infundere.

75 Lycium, λύκιον, est succus concretus ex quadam arbore ejusdem nominis coctione eductus.

Diosc. *lib.* 1. *cap.* 132. docet methodum extrahendi lycium. Sic Plinius *lib.* 12. *cap.* 7. et *lib.* 24. *cap.* 14. Veteres existimabant plurimis morbis hunc succum opitulari ob suam adstringendi et exiccandi virtutem. Diosc. *loc. cit.* descripsit arborem, quae etiam πυξάκανθα vocatur in Cappadocia, Lycia, aliisque regionibus copiose nascens. Hodie ignoramus quid fuit veterum lycium, nec notam ullam characteristicam cognoscimus, unde ab aliis spinosis fruticibus, praecipue rhamno distinguamus.

76 Lanae succidae, ἔρια πιναρὰ, frequentissime olim a Medicis, et Hippiatricis adhibebantur, utpote quae leniunt, digerunt, et repellunt, sicut admonet Galen. *meth. med. lib.* 14. *cap.* 17. et *comm.* 2. *in Hipp. de Tract. Aphor.* 72.

77 Diarrhoea, διάῤῥοια, est immodicus materierum faecalium fluxus. Hic morbus cum primarius est, vel a debilitate intestinorum, vel ab indigestione, vel ab humiditate, frigore, laboribus, vel a pravis alimentis, et aqua frigida aestuante corpore pota, vel ab aliis caussis debilitantibus oriri solet.

78 Lapathum acutum, ὀξυλάπαθον, *Rumex*

acutus L. ita dicitur a botanicis non quod acidum sit, ut oxalis vulgo *acetosa* nuncupata, sed quod habeat folia in acutum desinentia. Ex *Hipp. Vet.* pro incita equorum alvo ejus corticem cum austero vino usurpatum fuisse colligitur.

79 Vinum austerum, *οἶνος αὐστηρὸς*, est modice crassarum partium, et parum adstringens. Vetustas austeritatem vini mitigat, ita ut tenuius, et dulcius fiat. Huiusmodi vinum roborat, fluxiones sistit, caput non tentat, at non facile digeritur. Vid. Gorr. *Def. med.*

80 Adversus equorum diarrhoeam rhamni folia ex austero vino incocta proponit auctor. Hic rhamnus, inquit Diosc. *lib.* 1. *cap.* 119. nascitur in sepibus, ramos habens rectos, et aculeos tanquam acuta spina, folia autem parva, oblonga, subpinguia, tenera. Ob suas spinas valde pungentes Corydon suadet Battum apud Theocr. *idyl.* 4. ut sine calceis in montibus non ambulet; nam in iis aspalathus, et rhamnus fruticat.

Ἐις ὄρος ὅκχ᾽ ἕρπεις, μὴ ἀνάλιπος ἔρχεο Βάττε
Ἐν γὰρ ὄρει ῥάμνοι τε καὶ ἀσπάλαθοι κομάωντι.

Interpres

In monte cum ambulas, ne discalceatus eas Batte;
In montibus enim rubi, et tribuli virent.

81 Baccis, seminibus, et foliis myrti vetus medicina ob adstringendi quam habent vim utebatur; nunc vero myrtus plus coriariis, quam medicis, et hippiatricis inservit.

82 Portulaca sativa, *ἀνδράχνη κηπία*, ***Portulaca** oleracea L.* nascitur ubique, et praesettim in hortis, et apud praediorum semitas. Dabatur olim ut remedium astringens. Inquit Diosc, *lib.2. cap.* 150. *Ἀνδράχνη δύναμιν ἔχει στυπτικὴν* scilicet: *Portulaca vim habet astrictoriam*. Haec autem proprietas levis est; ideo Galen. de portulacae viribus scripsit *ὑποστύφειν, καὶ ὀλίγου τινὸς αὐστηροῦ μετελεῖν* h. e. *leviter astringere, et aliquantum austerae qualitatis esse participem*. Portulaca habet etiam facultatem refrigerandi.

83 Amylum, *ἄμυλον*, est medicamentum ex tritico, et siligine compositum. Mediocriter refrigerat, et siccat. Efficax est contra diarrhoeam. Dicitur amylum, quod *χωρὶς μύλου*, idest sine mola fiat.

84 Hordeum torrefactum ad varios morbos probari a veteribus consuevit. Fuit frequenter pro usu interno adhibitum, vel sub forma farinae, vel ptisanae. Prima exiccans, altera humectans

fuit judicata, ut apud Galen. aliosque plurimos videre est.

85 Si Graecum vocabulum ῥοδοπιτυΐνης decomponatur duabus vocibus compositum esse deprehendimus, scilicet ῥόδον, rosa et πιτυΐνη, pinea: ast quid sit rosa pinea assequi nequivi.

86 Rhus coriaria, ῥοῦς βυρσικὴ *Rhus coriaria L.* sic dicta a colore coccineo acinorum, est arbusculum in montibus, et locis petrosis nascens. Inter doctissimos viros vehementer disputatur an rhus coriaria sit planta a culinaria diversa; an vero una eademque sit. Qui plantas diversas esse credunt, Galeno adhaerent; cum in eadem compositione utramque ipse praescribat, ut in variis locis *lib.* κατὰ τόπους apparet. Alii autem qui opinionem contrariam patrocinantur, respondent has plantas minime differre, sed diversas partes ejusdem plantae variis usibus esse dicatas. Etenim obsoniis fructus rubens aspergebatur pro sale; foliis vero, ramis, et cortice ad perficiendas pelles coriarii utebantur. Haec sententia confirmatur a Diosc. *lib.* 1. *cap.* 147. *Rhus, quae epulis aspergitur, ab aliquibus erythros dicta, fructus est vocati rhois coriarii, quoniam eo utuntur coriarii ad inspissanda coria*. Antiqui huius plantae folia con-

tra ventris fluxum utilia existimarunt. Diosc. *l. c.* ait folia vim astringentem habere, et acaciae effectus praebere.

87 Galla, κηκὶς, *Cynips quercus folii L.* est excrescentia quercuum, sub forma globuli, in qua se abdit insectum. Theoph. *lib.* 3. *cap.* 6. duo genera gallarum statuit, candida, et nigra. *Cap.* 8. loquitur de galla parvula, resinosa, et nigra, quae ad lanam tingendam utilis est. Diosc. etiam duo agnoscit genera, scilicet parvam omphacitidem, et levem: *quaedam omphacitis vocatur, parva, et tuberosa, gravis, nullo foramine pervia; altera vero levis, aequalis, et perforata; eligi debet omphacitis, cum efficacior sit.* Galen. 7. *simpl.* duas gallarum species distinguit; videlicet omphacitidem alteram minorem, alteram grandiorem, flavam, et fungosam. Olim gallae erant in usibus medicis, et veterinariis valde probatae, si forte esset adstringendum, nunc autem fere omnino negliguntur.

88 Vinum Mysium, *οἶνος μυσιάστος*, provenit ex Hellesponti Mysia Pergamo vicina. Est flavum, odorum, et substantia medium inter aquosa, et crassa. Per eminentiam huiusmodi vinum voca-

tur Mysium. Vid. Galen. *de Sanit. tuend. lib.5.* et *Met. med. lib.* 12.

89 Graeca vox *στρόφος*, dolorem intestinorum significat, seu tormina. Huic affectioni plusquam caetera animalia equi obnoxii sunt; et praesertim qui sunt debiles, valetudinarii, et plus semel iisdem doloribus laborarunt. Hic morbus oritur ab irritatione nervorum intestinalium; quam ob rem contrahuntur intestina, crispantur, et aliquando inflammantur. Auctor exponit necessaria signa ad equum torminosum cognoscendum, tamen alia etiam sunt adnotatione digna, et in primis pulsuum qualitas. Etenim pulsus non est durus, sicut in *enteritide*, seu intestinorum inflammatione observari solet; verum valde frequens. Praeterea distentio ventris aequalis non est, et aer inclusus obstrepit. Causae frequentiores sunt aer humidus, indigestiones, alimentorum qualitates, immoderatus labor, aqua frigida incalescente corpore epota, et aliae plures.

90 Equus, qui lacrymas effundat, vel lacrymantis imaginem referat, cognitionem quamdam infaustae suae conditionis declarat. Recte igitur Solinus in *Polyhist. cap.* 47. inquit: *Affectum equinum lacrymae probant*.

91 Apium, σέλινον, *Apium graveolens L.* Est hoc Graeco nomine vocatum, διὰ τὸ φύειν ἐν ἕλεσι, quod in paludibus nascatur. Apud Homerum Iliad. β. equi bellatores apio pascuntur.

ἵπποι δὲ παρ' ἅρμασιν οἷσιν ἕκαστος
Λωτὸν ἐρεπτόμενοι ἐλεοτρεπτόν τε σέλινον
Ἕστασαν.

Equi vero apud currus proprios unusquisque
Lotum comedentes, et in palude nutritum apium,
Stabant.

Hac herba non solum equi nutriuntur, sed etiam curantur: idcirco Hipp. Vet. pro alimento apium equis torminosis praebet. Latini apium dixerunt, quod apicem capitis eo coronabant. Macer.

Est apium dictum quod apex hanc ferre solebat
Victoris, veterum fieret dum more triumphus.
Ipse sibi talem prior imposuisse coronam
Dicitur Alcides: morem tenuere sequentes,
Ast alii dictum credunt, quod apes vehementer
Illius soleant avide decerpere flores.
Hanc herbam selinon solet attica dicere lingua.

92 Pars dicitur inflammatione affecta, cum praeter naturam calet, rubet, tumet, dolet, et pulsat. Quaevis inflammatio vel generalis, vel partialis a stimulo, et irritamento pendet. Etenim si alicubi nervi, et vasa ab aliquo stimulo

vellicentur, eo citius, et uberius propellitur sanguis, a quo nervi distenduntur, et pars fit sensibilior, calens, rubea, tumens, dolens, et pulsans. Illae partes facilius inflammationem concipiunt, et vehementius ab ea corripiuntur, quae membranaceae, et vasculosae sunt, ut testes. Nam testes variis membranis tum communibus, tum propriis involvuntur, eorumque substantia est gracilium vasculorum glomer, quae ab arteriarum spermaticarum diramationibus nasci videntur. Causae inflammationis testium vel internae sunt, ut plethora, sanguinis tenacitas, et visciditas, humorum prava indoles &c., vel externae, ut frigus nimium, et calor, immoderata exercitatio, animalium morsus, et ut verbo dicam, quidquid partem comprimere, urgere, rumpere, et aliquo modo offendere valet.

93 In sua arte exercenda varias terrarum species usurpabant medici, et veterinarii: itaque modo hanc, modo illam seligere solebant. Ut exemplo utar, Galen. *lib.* 3. *de nat. fac.* terram figularem jubet ad refrigerandum, et siccandum.

94 Solanum, στρύχνος, *Solanum nigrum L.* describitur a Diosc. *lib.* 4. *cap.* 71. *Solanum hortense frutex est esculentus, pusillus, multas habens*

alas; folia nigra, majora quam ocymi, et latiora; fructum rotundum, viridem, qui niger fit, aut fulvus post maturitatem. Haec herba est ad gustum innocens. Solanum a Latinis maurella vocabatur. Inquit Macer.

Herbam quam Graeci strychnon dixere, Latini
Maurellam dicunt, vis ejus frigida valde.

Hoc notissimum solani genus in hortis locisque incultis luxuriat. Narcoticam facultatem, et discutientem habet.

95 Tumor est naturalis extensionis augmentum in parte aliqua; ideo hujus figura variatur, et actio interdum laeditur. Frequenter tumores ab humoribus producuntur, qui ad aliquem locum abundanter confluunt, ibique sistunt. Hic humorum concursus, vel celeritate, et impetu, vel lento gradu partem elevat; et hinc originem habuit divisio in calidos, et frigidos. Tumor testium, quem auctor curare habet animo, minime inflammatoriae naturae esse debet, ut ex medicamentis discutientibus testibus admovendis, clare patet.

96 Prisca medicina animalium fimo utebatur; ita ut nunc bubulum, nunc equinum praescriptum reperiamus, quia juxta animalis species, et

alimenta differt : Fimus bubulus ad instar cataplasmatis ex aceto parati tumoribus scirrhosis, et strumis mederi credebatur. Vid. Gorr. *Def. med.*

97 Distillatio, ῥεῦμα, est morbosa excretio mucosae materiae e naso, quae saepe equis evenit. Multae sunt caussae, quae distillationem progignere valent; ex. gr. inflammatio membranae pituitariae, extraneum corpus irritans, frigus, loca humida, cursus &c., ut quotidiana experientia edocemur.

98 Cinis est corporum combustorum residuum: Generatim discutit, et maxime si calida, θερμοσπόδια, fuerit.

99 Calx viva ἄσβεστος, fit ex carbonate calcareo cum ab actione ignis acido carbonico orbatur. Adurit, corrodit, et dissipat.

100 Rhododaphne, ῥοδοδάφνη, *Nerium oleander L.* est notissimus frutex, qui in amoenis viridariis ob venustum florem in rosam conformatum valde delectat. Inquit Diosc. *lib.* 4. *cap.* 82. *Flores, et folia canibus, asinis, mulis, et plurimis quadrupedibus venena sunt: hominibus vero contra bestiarum venenatarum morsus praesidia, e vino pota,*

eoque magis ruta addita. Imbecilliores animantes, uti caprae, ac pecudes, postquam aquam biberint, in qua illa maduerint, moriuntur. Hoc confirmat Plinius *lib.* 24. *cap.* 11. Contra Galenus asserit in *lib.* 7. *de simpl.* rhododaphnen etiam hominibus venenum esse. Hanc opinionum diversitatem conciliant doctiores, dicentes, quod sanis hominibus venenum est, remedium esse potest illis, qui a serpente demorsi fuerunt. Idem auctor inquit *loc. cit.* rhododaphnen digerendi vim habere, exterius illitam.

101 Bitumen, ἀσφάλτος, ἀσφαλτὸν. Hoc est bitumen Judaicum quod caeteris praestat. Concretum, ponderosum, friabile, splendens, nigricans, ingratum odorem emittens, et nauseans. Hoc super aquas maris mortui, (quod dicitur lacus *Asphaltites*) veluti spuma, innatat. Extimulat, et discutit; sed hodie raro a medicis usurpatur.

102 Graecum verbum νεῦρον, si late accipiatur, non solum nervos ptoprie dictos, sed etiam tendines, et ligamenta comprehendit. Galen. in *Hipp. de fract.* τοὺς συνδεσμοὺς νυν ὠνόμασε νεῦρα καὶ ἐπὶ παντὶ καλῶν οὕτως αὐτοὺς scilicet: *Ligamenta nunc nervos nominavit, etiam ubique sic vo-*

cans. In *coac. praenot.* νεῦρα παχέα pro ligamentis, et tendinibus sumuntur.

103 Piper album πέπερι λευκὸν, producitur a frutice, qui piperis nigri frutici similis est. Ab hoc enim non facie vel foliis, sed solo fructus colore discrepat: aeque ac nostrates vites, quae quamvis ejusdem sint speciei, tamen uvas vel albas, vel nigras edunt. Multi judicant piper album esse piper nigrum cortice extimo nigro, et rugoso spoliatum, et ideo communi pipere, seu nigro infirmius esse.

104 Minium, μίλτος, seu oxydum plumbi rubrum, est plumbum longae calcinationi expositum, ut in pulverem rubrum convertatur. Remedium est adstringens.

105 Glossa vetus: thuris pollen, μάννα. Juvenalis *thus minutum*, ubi vetus interpres *mannam* interpretatur.

106 Pix Brutia, πίσσα βρυτία. Hanc picem ceu optimam laudarunt passim veteres scriptores. In Italia ad vasa vino condendo fuit etiam valde probata, ut tradit Plinius *Nat. hist. lib.* 14. *cap.* 20. Hoc nomen habuit a Brutia gente illam Italiae partem incolente, quae hodie dicitur Calabria. Strabo

lib. Geogr. 6. inquit. *Est apud Brettios sylva, quae praestantissimam fert picem, quam Brettianam sylvam vocant.*

107 Ligamenta sunt membranae albae, firmae et elasticae, cartilaginibus molliores, nervis vero, et membranis communibus duriores. Ligamentorum ope ossa mutuo colligantur. Aliquando crassiora fiunt, si humores consistant, qui per eorum vasa circulantur: et tenuissimus humor ab arteriis, ut solet, minime evaporetur. Hic morbus a longo itinere, immoderatis laboribus, cursu, aliisque caussis oriri potest.

108 Condyloma, κονδύλωμα, est excrescentia carnis callosa, quae in equis circa armos, et pedes interdum occurrit.

109 Viscum, ἰξὸς, est quaedam resina, quae a baccis glutinosis variarum stirpium, praecipue visci quercini, (*Viscum album L.*) vel ex cortice aquifolii (*Ilex aquifolium L.*) extrahitur. Emollit, resolvit, ac tumores ad maturitatem adducit.

110 Defrutum, οἶνος ἀφεψημένος, quod est vinum coctum. Defrutum a passo differt quia non sub sole, sed igne, et coctione fit. Non invenitur apud Graecos defruti proprium vocabulum,

nam ἕψημα, et σίραιον sunt vocabula aliis etiam liquoribus communia, similiter decoctis. Vid. Bacc. *de nat. vin. hist. lib. 2. cap. 4.*

111 Ut hominum capilli, et pili intereunt, et corrumpuntur; sic equorum crines vel ob deficientiam nutrititii succi, vel ob eiusdem vitium et malignitatem labefactantur. Idcirco ad marcorem crinum varia remedia ab auctore praescripta videmus.

112 Quid sit lixivium calcis, ἀσβέστου κονία, ostendit Galen. *de simpl. med. fac. lib. 9.* inquiens: *Porro si lavetur* (calx) *in aqua suam mordacitatem exuit, efficit nuncupatam graece κονίαν, idest lixivium*. Hoc lixivium aquae calcis respondet.

113 Cerussa, ψιμμύθιον, seu oxydum album plumbi cum acido acetoso, est plumbum aceti vaporibus erosum.

114 Lithargyrium, λιθάργυρος, seu oxydum plumbi semivitreum, juxta oxydationis gradum vel albicans est, vel lutescens. Primum argenti, alterum auri dicitur. Caute medici lithargyrium adhibent ob ejus noxios effectus, quos Nicander in *Alexipharm.* paucis concinnis versibus descri-

bit, quosque cum Latina versione Gorrhaei, et Italica Salvinii mihi liceat referre.

Ἐχθομένη δέ σε μή τι λιθάργυρος ἀλγινόεσσα
Λήσειεν τότε γαστρὶ πέσῃ βάρος· ἀμφὶ δὲ μέσσον
Πνεῦματ' ἀνειλίσσοντα κατ' ὀμφάλιον βρομέῃσι
Οἷά περ εἰλίγγοιο δυσαλθέος, ὅς τε δαμάζει
Ἄνδρας ἀπροσφώτοισιν ἐνιπλήσσων ὀδύνῃσιν
Οὐ μὲν τῶν γ' οὔρων ἄνυται ῥύσις ἀμφὶ δὲ γυῖα
Πίμπραται· αὐτὰρ που μολίβδῳ εἰδήνατο χροιήν.

Argenti si te crudelis spuma lacessit,
Prospice, tunc alvus gravis est, flatusque rotati
Volvuntur, medioque cient umbone tumultus.
Ileon infestare putes, qui caeca volutans
Murmura distorquet saevis cruciatibus aegros.
Sistitur urinae cursus, tumor undique corpus
Occupat: et vultum species plumbi aemula foedat.

Non ti sfugga il litargirio odioso
Doloroso, allor cade al ventre peso;
Ed al mezzo al bellico rivolgentisi
Fremono i flati, e gorgogliando vanno,
Qual d'insanabil volvolo che uccide
Con iscuri dolor gli uomin battendo.
Non si compie lo scolo delle urine,
Enfian le membra, e piombo sembra il viso.

115 Si ossa cranii rumpantur, et meninx sauciétur, extravasato sanguine oculi suffunduntur, et implentur. Propter nervorum irritationem tussit animal; imo in fractura ossium capitis accidunt convulsiones, et difficilis respiratio: in hominibus autem vomitus, et vertigines. Etiam crura tumescunt ob magnum virium defectum, qui inde sequitur. Cor enim et vasa debilitantur, praesertim illa extremitatum propria, quae humores non satis valide compellere valent. Haec et alia sunt symptomata huiusmodi fracturae; verum necessarium est examen cranii, cum eadem foenomena etiam in magnis capitis percussionibus appareant, quin ossa frangantur. Animadvertendum est, percussiones, vulnera, et fracturas capitis maximum portendere discrimen.

116 Carcinoma, καρκίνωμα, seu cancer est tumor durus, inaequalis cum punctorio, et erodenti dolore, ejusque livescentes venae inflatae recurvantur. Ei Galenus putat *lib.2. cap. 12. meth. med.* hoc inditum fuisse nomen ex venis turgidis, et varicosis, quae cancrorum chelas aemulantur. Alii autem rationem nominis in eodem tumore inveniunt, cum velut escae cancrorum chelae, ita hic tumor partibus adhaerescat. Carcinomatis sedes sunt partes cellulares, spongio-

sae, adiposae; ut glandulae, mammae, uterus, labia, lingua, nares, oculi &c.

117 Cicuta, κώνειον, *Conium maculatum L.* Ab antiquis usque temporibus ad resolvendos tumores, glandularum obstructiones, et curanda carcinomata admodum apta cicuta creditur. Ad hunc igitur finem ab Archiatr. Caesar. Comite Storkio, Ludwigio, Tissoto, Nicholsonio, Quarinio, Molinario, aliisque fuit valde accepta, quamvis a nonnullis proprietates ejus impugnentur, et in primis a Clar. De Haenio in epist. Trallesio tradita an. 1765. *De irrito usu cicutae in carcinomatum, aliorumque morborum curatione*. Itaque haec planta, quae homines, et animalia necare valet, plurimis, et periculosis morbis efficaciter auxiliatur, ut ego met, medicinam faciens in militari Romae nosocomio, etiam atque etiam observavi, et quemdam fere desperatae salutis militem cicutae usu tam interno, quam externo persanavi. Divinus Hyppocrates *lib. de natura muliebri* pro uteri morbo cicutam exhibet, et inter remedia, quae purgant uterum adnumerat. Sic inquit κώνειον ὅσον τρισὶ δακτύλοισιν ἐν ὕδατι δίδου πινεῖν, scilicet *Cicutae quantum tribus digitis capitur, ex aqua bibendum dato*. Etiam Plinius de cicuta loquens, et ejus vi *lib.25.cap.13.* ait: *Cicu-*

ta quoque venenum est, publica Atheniensium poena invisa, ad multa tamen usus non omittendi. Semen habet noxium. Caulis autem ejus et viridis estur plerumque et in patinis. Lenis hic et geniculatus ut calami nigricans, altior saepe binis cubitis, in cacuminibus ramosus: folia coriandri tenuiora, gravi odoratu: semen aniso crassius, radice concava, nullius usus. Semini, et foliis refrigeratoria vis: quae si enecat, incipiunt algere ab extremitatibus corporis. Remedio est, priusquam perveniat ad vitalia, vini natura excalfactoria. Sed in vino pota irremediabilis existimatur. Necesse vero est, ut medicus caute cicutam porrigat, quamvis ratione climatis, et soli non semper est aeque damnosa. Nicander gravissimus auctor in *Alexipharm.* hisce versibus truculentos cicutae effectus exaravit.

Καὶ τε σὺ κωνείου βλαβόεν τεκμαίρεο πῶμα.
Κεῖνο ποτὸν δὴ γαρ τε καρήατι φοινὸν ἰάπτει
Νύκτα φέρον σκοτόεσσαν. ἐδίνησεν δὲ καὶ ὄσσε.
Ἴχνεσι δὲ σφαλεροί τε καὶ ἐμπάζοντες ἀγυιαῖς
Χερσὶν ἐφερπύζουσι· κακὸς δ' ὑπὸ νείατα πνιγμὸς
Ἴσθμια καὶ φάρυγος στεινὴν ἐμφράσσεται οἶμον.
Ἄκρα δέ τοι ψύχει· περὶ δὲ φλέβες ἔνδοθι γυιων
Ῥωμαλέαι στέλλονται· ὁ δ' ἠέρα παῦρον ἀτίζει
Οἷα κατιβολέων· ψυχὴ δ' ἀϊδωνέα λεύσσει.

Versio Gorrhaei

Tu quoque signa malae jam contemplere cicutae.

Haec primum tentat caput, et caligine densa
Involvit mentes: oculi vertuntur in orbem:
Genua labant, quod si cupit ocyus ire, caducum
Sustentant palmae corpus: faucesque premuntur
Obsessae, et colli tenuis praecluditur isthmus.
Extremi frigent artus, latet abditus imis
In venis pulsus, nihil inspiratur ab ore.
Fata instant, Ditemque miser jamjam adspicit atrum.

Versio Salvinii

Dell'Aconito tu, a questi segni
La bevanda nocevole discuopri.
Poichè questa bevanda micidiale
Sterminio al capo imprime, scura notte
Recando, e fa girare anco le luci:
E mettendo il piè in fallo, ed inciampando
Nelle vie colle man van brancolando.
Ed un cattivo affogamento sotto
Le gangole, il camin stretto di gola
Ne tura, e ancor l'estremitadi fredde;
E le vene robuste entro le membra
Stringonsi; e poco aere va rendendo;
Come giù posto, e l'alma Pluto scorge;

Cicuta lethalis est bobus, utilis vero sturnis: Etenim Galenus tradit *lib.* 3. *simpl. cap.* 18. eam nutrire sturnos. Lucretius *lib.* 5. capras saginare asserit.

Quippe videre licet, pinguescere saepe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quae est acre venenum.

Quod nescio an verum sit. Cicuta sic dicitur παρὰ τὸ κωνᾶν διὰ τὸν γινόμενον ἐιλιγμὸν, καὶ σκότον τοῖς πίνουσι. A circumvertendo, propter vertiginem earum rerum, quae aspiciuntur, et tenebras, quae bibentibus accidunt. In pratis locis umbrosis, pinguibus, et humidis viret.

118 Contra carcinomata cancros fluviatiles ustos, et tritos, ex aceti faece adjicere suadet auctor. Hoc erat apud priscos confirmatum remedium, ut colligi potest ex Diosc. *lib.2. cap.12.*

119 Pumex, κίσσηρις, est lapis juxta plerosque historiae naturalis peritos, qui in locis Vulcanicis reperitur. Constat magnesia, silice, calce, et interdum etiam ferro, vel muriate sodae. Ob subterranei ignis ustionem omnis humor in pumice absumitur; idcirco rarus, levis, et fistulosus evadit. Mollis est vel durus, et colore admodum varius, scilicet vel niger, vel cinereus, vel albus &c. Pumex albus, levissimus, fistulosus, scissilis, aquae innatans, scaber, nec arenosus, nec acidorum contactui effervescens, nec igniarii ictibus scintillas emittens maximopere probatur. Raritatis, et levitatis caussa, secus

maris littora supernatantes pumices aspiciuntur, praecipue cum abruptis procellis, tumescunt freta. Quoniam vero pumex spongiae similis videtur, a nonnullis spongia fuit nuncupatus. Graeci eum vocant κισσήριδα, a quodam verme κίς dicto: etenim pumex erosus est, et foratus, ut ab illo frumentum roditur. Pro medicinae usibus cremabatur, ut majorem acrimoniam acquireret, tumoresque melius cohiberet.

120 Faex alba vini tartarum continet, seu tartritim acidulum potassae, cum multis partibus heterogeneis, ut terra, et crassa materies seminum uvae. Si haec faex uratur, est acre medicamentum, quod adstringere, et resolvere valet.

121 De plumbagine ita loquitur Dioscor. *lib.* 5. *cap.* 59. *Molybdaena optima est argenti spumae aemula flava, subsplendens, et cum teritur fulva, cocta cum oleo jecinoris colorem contrahit. Vitiosa est, quae aerem, aut colorem plumbi refert. Fit ex argento, et auro. Est etiam quaedam fossilis, ad Sebastiam, et Corycum inventa. Illa melior est, quae nec recrementosa, nec lapidosa sit, sed flava, et splendens. Vim habet spumae argenti aut scoriae plumbi similem.* Veterum igitur plumbago seu molybdaena, ut tradit Dioscor. est vel nativa,

vel artificialis. Illa est plumbi minera, aut potius plumbi, et argenti simul, haec autem est lithargyrii species, quae gignitur in fornacibus, in quibus aurum, et argentum liquantur. Plumbum enim auro, et argento admixtum in calcem redigitur, et fornacibus adhaeret. Ideo ex auro, et argento tanquam materia molybdaenam fieri, nemo existimet.

122 Atramentum sutorium χάλκανθος, et χαλκάνθη, erat apud veteres vitriolum caeruleum, seu sulphas cupri. Juxta Dioscor. unum et idem est genere, molle et concretum; in specie vero tres differentias habet; scilicet stillatitium, concretitium, et coctile. Pro medicis usibus melius est stillatitium. Idem Diosc. testatur *lib. 5. cap.* 114. *Optimum censetur, caeruleum, grave, densum, et translucens: quale est stillatitium, ab aliis lonchoton appellatum. Proximum concretitium. Coctile autem ad infectus, et denigrationes, caeteris aptius esse existimatur: verum ad medicinae usum, invalidius esse experimenta docent. Valet adstringere, et crustas inducere.*

123 Interdum progignuntnr tumores, qui in folliculo quodam materiam spissam, et morbosam capiunt: sunt ovales, mobiles, indolentes,

naturalis coloris, variae magnitudinis, quae tamen admodum potest augeri. Itaque meliceris, μελικηρὶς, est tumor cum folliculo, in quo comprehenditur humor melli similis, unde etiam nomen obtinet; sicut atheroma ἀθέρωμα, a pulte, et steatoma στεάτωμα, a sevo, vel adipe dicuntur. In meliceridibus humoris fluctuatio percipitur.

124 Aes ustum, χαλκὸς κεκαυμένος, fiebat antiquitus ex aeris clavis in vase fictili positis cum sulphure, et sale, aut etiam alumine. Inquit Diosc. *lib. 5. cap.* 87. *Aes ustum probatur rubrum, et quod attritu colore cinnabarim imitetur. Nigrum autem plusquam oporteat exustum est.* Plinius *lib.* 34. *cap.* 10. tradit non illos clavos aereos olim usitatos, sed aes cyprium uri. Hujusmodi ab antiquis ut adstringens remedium, et ulcera ad cicatricem perducens, praedicabatur.

125 Aeris squama, χαλκοῦ λεπὶς, est particula squamosa de clavis, vel de panibus aeris malleolorum ictibus excussa. Praestantior est squama clavearis, ἡλῖτις, dicta; damnabilis vero, et vitiosa, quae de vili, promiscuo, et candido aere trahitur. Ait Dioscor. *lib. 5. cap.* 89. *Approbantes crassam, rufam, et aceto asperso aerugi-*

nem contrahentem. Vim habet adstrigendi, et erodendi.

126 Varix, κιρσὸς, est venarum intumescentia inaequalis, nodosa, et sine pulsatione, quae si comprimatur compressioni cedit; hac autem amota, restituitur. Varix a membranarum dilatatione, et fibrarum prolongatione nascitur. Interdum adeo increscit, ut dolores, molestiae, et inopinae ruptiones sequantur. Equus inter caetera animalia varicibus magis est obnoxius, quae aliquoties in interiore parte coxarum, et crurum sparsim nodorum instar observanrur. Harum frequentior caussa est immodicorum onerum tractus et exportatio.

127 Variae sunt verminum species, quibus animalia laborant, sicut diligenter observavit veterinarius Chabert, qui in uno eodemque animali tres libras, et quatuor uncias horum insectorum, diversis speciebus pertinentium, reperiisse affirmat. Vermes tam equis quam aliis animantibus magnam noxam afferunt, multisque aegritudinibus originem praebent. Omnes corporis partes invadere possunt; et horum unaquaeque species peculiarem habet modum nocendi. Inquit Vet. Hippocrates affectionem verminosam curatu

esse difficilem, et potius insanabilem. Certa enim remedia non cognoscimus ad hospites tam iniquos destruendos, et necandos. Itaque vermes succos nutricios absorbent, et solida morsu vexant, unde animal saevos cruciatus patitur, amittit vires, tabe pereditur, et tandem vita cedit. Pauca indicia, ast notatu digna, auctor exhibet, ad cognoscendum equum vermibus affectum. Nam equus, qui in terram se projicit, et revolvitur, doloribus se premi indicat, et ob internam irritationem ad hinnitus edendos inducitur. Alia etiam sunt signa ad deprehendendos vermes in animalibus, ut caecitas, convulsiones, vertigines, appetitus defectus, vel voracitas, tristitia, consumptio &c. quae laudatus Chabert copiose enumerat.

128 Mus araneus, *μυγαλῆ*, *μυγαλέη*, et *μυογάλη*, est bestiola, quoad corporis molem muri aequalis, quoad colorem vero, et formam mustelae similis. Os habet oblongum, dentes in utraque maxilla duplici ordine digestos, caudam brevem, et ocellos, habita etiam corpusculi ratione, nimis exiguos. Gesnerus oculorum exiguitati suam visus hebetudinem tribuit, unde caecum veteres appellavere. Idem auctor credit a venefica facultate araneum fuisse vocatum, ut piscis

araneus ille dicitur, qui venenatis spinis est instructus. Nonnulli autem, quia hoc animal simile est muribus, et edita petit, agilisque est, sicut araneus, ita appellari autumarunt. Mus araneus noxius valde est, er veneficus in regionibus calidis tum hominibus, tum animalibus, minime vero in frigidis, ut observavit Matthiolius in agro Tridentino, ubi etiam scorpiones veneno carent; quod coeli qualitatibus adscribit. Hyeme stabula frequentat, aestate hortos, et loca, ubi fimus bubulus invenitur. Est rapax, edax, immiti animo, maxime dolosus, et testes non solum hominis, sed etiam cujusvis alterius animalis plerumque impetit. Feles eum capiunt, et occidunt; verum non edunt, quasi materiam venenatam reformident. Veteres orbitarum pulverem remedium esse contra muris aranei morsus arbitrabantur, ut inquit Quintus Serenus hisce versibus

Sin autem muris nocuit violentia caeci,
Qui sola signavit volvendis orbita plaustris,
Illic mira datur vili de pulvere cura.

Hoc caecum, et dirum animal in plaustrorum orbitis perire Nicander sic asserit in *Theriac.*

Τυφλήν τε σμερδυνήν τε βροτοῖς ἐπὶ λοιγὸν ἄγουσαν
Μυγαλέην τροχοῇσιν ἐνιθνήσκουσαν ἁμάξεις.

Versio Gorrhaei

Et scio quam diro metuendus araneus ore
Caecus, et immoriens sulcis quos orbita findit.

Versio Salvinii

E la cieca ed orribil ch' ai mortali
La fin reca, Migalea, del carro
Tralle ruote morente.

Similiter murem araneum confractum in vino, aut terram scrobis ab eo defossi, tanquam utile remedium prodiderunt.

129 Melanthium, μελάνθιον, *Nigella damascena L.* ita describitur a Dioscor. *lib.* 3. *cap.* 93. *Melanthium fruticat exilibus surculis, duos dodrantes altitudine aequans, aut etiam amplius, foliis minutis ut senecionis, et multo tenuioribus: capitulo in cacumine parvo, ceu papaveris, intrinsecus dissepimentis quibusdam praedito, quibus semen nigrum, acre, odoratum includitur, quod panibus inspergitur*. Idem auctor affirmat melanthium phalangiorum morsibus auxiliari. Plinius *lib.* 20. *cap.* 17. ait: *Gith ex Graecis alii melanthion, alii melaspermon vocant, optimum quod excitatissimi odoris, et quam nigerrimum. Medetur serpentium plagis, et scorpionum*. Etiam antiqui veterinarii scribunt melanthium morsibus muris aranei remedium es-

se. Credebant veteres, hoc incenso, serpentes fugari, ut in initio *Ther.* Nicander asserit. Haec planta a recentioribus nigella dicitur ob nigredinem seminis.

130 Pro vulneribus venenatis veteres hippiatrici hordeo cremato admodum usi sunt. Hinc etiam Vegetius de morsu muris aranei *lib.*3. *cap.* 82. hoc scriptum reliquit. *Quod si eruperint vulnera venenata, hordeum combustum in pulverem rediges, et diluto aceto vulnus insperges.*

131 Agit auctor de fractura pedis, quae non facile a veterinariis deprehenditur; tamen a caussis, quae morbum producere valent, a dolore, et intumescentia coronae detegitur. Caussae sunt lapsus, irregularis motus, vehemens ictus calcis in renitentia corpora immissus &c. Huiusmodi fractura expedite sanatur, quoniam os in ungula includitur, et motus parvi momenti absolvit. Ut propere equus sanitati restituatur, otio, et quieti eum tradere necesse est.

132 Hirundo, *χελιδὼν*, est vox equivoca, quia varia significare valet; ast ad rem nostram cavitatem ungulae equorum ostendit. Xenoph. de *re equestr. cap.*1. inquit: *ἔπειτα οὔτε τοῦτο δεῖ λανθά-*

νειν ποτερόν αἱ ὅπλαι εἰσὶ ὑψηλαὶ ἢ ταπειναὶ καὶ ἔμπροσθεν καὶ ὄπισθεν, ἢ χαμηλαὶ, αἱ μέν γαρ ὑψηλαὶ πόῤῥω ἀπὸ τοῦ δαπέδου ἔχουσι τὴν χελιδόνα καλουμένην, αἱ δὲ ταπειναὶ ὅμοιως βαίνουσι τῷ τε ἰσχυροτάτῳ καὶ τῷ μαλακωτάτῳ τοῦ ποδὸς &c. h. e. *Deinde neque hoc oportet latere, utrum ungulae sint altae, an tam ante quam retro depressae, sive humiles; altae enim longe a solo habent hirundinem ita dictam; humiles autem ita incedunt ut pedis molliores, et duriores partes aeque fulciant incessum &c.* Hinc *cap. 6.* Ἢν δὲ ἄντια τοῦ ἵππου ὁρῶν καὶ ἔξω τοῦ σκέλους ὅταν καθαιρῇ κατὰ ἣν ὠμοπλάτην καθίζων ἀποτρίβῃ οὕτω πάθοιμεν ἂν οὐδὲν, δύναιτο δ' ἂν καὶ τὴν χελιδόνα τοῦ ἵππου θεραπεύειν ἀναπτύσσων τὴν ὁπλὴν. h. e. *Sin contra equum aspiciens, et exterius crus quando mundat circa scapulam stans abstergat, hac ratione nihil patietur, poterit autem et hirundinem equi curare aperiens ungulam.*

133 Rabies, λύσσα, est proprie morbus, seu furor in quem incidunt canes, diebus praesertim canicularibus: verum ad caetera etiam animalia extenditur. Exponit auctor praecipua foenomena equi rabidi, quamvis alia quoque observantur notabilia, ex. gr. obvios omnes mordendi cupiditas, respiratio admodum frequens, convulsiones &c.

Animadvertendum est rabida animalia non semper aquam, et omnia potulenta aversari. Pluries enim observatum est eosdem canes, et lupos rabidos aquam bibisse, manducasse, et flumina transivisse. Symptoma hydrophobiae constans est in hominibus a cane, aut lupo demorsis, quibus rarissime supervenit bibendi desiderium. Aliquando animalia recusant aquam, quin horrore ab ipsa recedant, sicut inspexit Thorellius in quodam mulo rabie affecto, cujus historiam diligenter exposuit, quae invenitur in opere inscripto *Instructions, et observations sur les maladies des animaux domestiques an.* 1792.

134 Agit auctor de luxatione pedis, ad quam cognoscendam praecipua enumerat signa, quae quidem satis superque sunt. Inter caussas hujusmodi luxationis merito pedum conamen ingens censetur, ut illud erat, cum bellatores equi tempore certaminis diu curribus jungebantur, et faticabantur.

135 Cancellatim, καγκελοειδῶς. Hoc Graecum vocabulum compositum est ex duabus vocibus, scilicet κάγκελος, cancellus, et εἶδος, species. Κάγκελος autem est vox, quam recentiores Graeci a Latinis mutuati sunt. Hesych. eam adhibet ad exponendos

δρυφακτοὺς, idest cancellos illius loci, ubi Senatus Atheniensium judicabat.

136 Fistula, σύριγξ, est altum ulcus, sinuosum, callosum, angustum in ore, et magis latum in fundo, cum materiei acris, purulentae, ichorosae, et virulentae fluxu. Fit in singulis fere corporis partibus, sed praecipue glandulosis, adiposis, et membranaceis. Oritur interdum ab abscessibus, aliisque ulcerum generibus.

137 Hipp. Vet. praescribit salsamentum vetustum, utpote quod validius est. Omnia enim quo magis obsolescunt, eo in suis facultatibus validiora fiunt, dummodo antea non putrescant.

138 Salsamentum, τάριχος; generatim dicitur id quod sale conditum est; proprie vero est quaevis pars piscium sale condita, siccata, et asservata, ut caro, et potissimum partes pinguiores. Ratione varietatis piscium, variant salsamenta, eorumque vires.

139 Chalcitis, χαλκῖτις. Veterum chalcitis nil aliud videtur esse, quam sulphas cupri cum oxydo ejusdem metalli, partibusque terreis admixtus; ideo a recentiorum chalcitide diversa,

quae sulphas ferri est. Diosc. *lib.* 5. *cap.* 115. ita de chalcitide locutus est. *Chalcitis praefertur aeri similis, friabilis, nec lapidosa, nec inveterata, oblongas venas habens, et lucentes. Huic vis inest adstringens, excalfaciens, et crustas ulceribus inducens.* Hoc medicamentum erat a veteribus adversus varios morbos usitatum, ut ex eorum operibus potest deprehendi.

140 Scorpio est in Italia animalculum notissimum. Ejus corpus ovalem habet formam; caput est exertum, et prominens, in cujus anteriore parte inveniuntur duo oculi, circa vero partem mediam quatuor; sed tam exigui, ut vix aspici possint. Ex capitis lateribus duo prodeunt crura articulata, sicut forcipes, sub pectore octo sunt pedes, unde octopes scorpio vocatur. Ex ventris extremitate erumpit cauda oblonga multis vertebris, tanquam nodis composita. Ultima ex huiusmodi vertebris crassior, et aliquantum longior est caeteris, atque in apice aculeo instructa, in quo duo sunt foramina, ex quibus veneficus liquor ejicitur. Hoc animal in foraminibus, et testis latitat, ubi libenter degit, et procreat; unde commune adagium ὑπὸ παντὶ λίθῳ Σκορπίος εὕδει h. e. *sub omni lapide Scorpius dormit*. In italia non sunt scorpiones tam venenati, et maligni, ut in

aliis regionibus calidioribus. Romae multi sunt, intra moenia, et praecipue in monte, qui testaceus vocatur. Nicander in *Ther.* scorpionis fabulam hisce versibus complexus est.

Τὸν δὲ χαλαζήεντα κόρη Τιτηνὶς ἀνῆκε
Σκορπίον ἐκ κέντροιο τεθηγμένον ἦμος ἐπέχρα
Βοιωτῷ τεύχουσα κακὸν μόρον Ὠαρίωνι,
Ἀχράντων ὅτε χερσὶ θεῆς ἐδράξατο πέπλων.
Αὐτὰρ ὅγε στιβαροῖο κατὰ σφυρὸν ἤλασεν ἴχνευς
Σκορπίος ἀπροϊδῆς, ὀλίγω ὑπὸ λᾶϊ λοχήσας
Τοῦ δὲ τέρας περίσημον ἐν ἄστρασιν ἀπλανὲς ἄυτως
Οἷα κυνηλατέοντος ἀείδελον εστήρικται.

Versio Gorraei

At vero algificum Titania virgo creavit
Scorpion, armatum stimulo, caudaque tremendum
Boeoto poenas ex Oarione reposcens,
Sacram auso manibus vestem temerare Dianae
Qui latitans parvi caeco sub fornice saxi,
Duram improviso violavit vulnere calcem.
Cujus ob id tanquam venantis, in astra relatum
Sidus, et immotum magno fulgore coruscat.

Versio Salvinii

E fuore
La Vergine Titanide produsse
Scorpion grandinoso, in pungiglione
Affilato, allorchè Oarione

Beoto n' assalì di mala morte;
Poich' ei con mano presi della Dea
Aveva i manti immacolati, e puri.
Or questo Scorpion ratto il ferio
Sotto il calcagno della forte pianta,
Posto in aguato sotto picciol sasso;
Di cui un segno non errante, insigne
Tralle stelle così a piantar venne
Non iscorto da lui, che a caccia intende.

Ovidius, et Higinus referunt scorpium fuisse editum ut Orionem interficeret, qui cum venaretur gloriari ausus est se omnia animalia in terris vincere valere. Antiqui Veterinarii, ut Hierocles, et Absyrtus, quae comitari solent equos a scorpione demorsos symptomata recensent, scilicet equi crura contrahunt, claudicant, fastidiunt cibum, saniem viridem è naribus emittunt, vix decumbere, et se erigere possunt, atque difficilem respirationem patiuntur.

141 Solanum ad morsum scorpionis remedium esse potest, ob vim, qua pollet sedandi, et discutiendi, ut supra diximus not. 94. Dolor enim quiescit, humorumqne affluxus resolvitur ubi partibus demorsis ejus folia, et maturi fructus admoveantur.

142 Alumen, *στυπτηρία*. Diosc. *lib.* 5. *cap.* 82 multas agnovit aluminis species, ut ex hisce verbis, *ἀυτῆς ἔιδη πλεῖστα*, apparet, verum ad medendi usum trium potissimum expetendarum meminit, idest scissile, rotundum et liquidum. Ita inquit: *Optimum est scissile, praesertim recens, candidissimum, gustu perquam adstringens, graveolens, calculorum expers, nec glebae modo, nec assulose compactum, sed sigillatim in capillamenta quaedam canescentia dehiscens, quale est quod trichites, quasi capillare appellatur, in Aegypto natum. Reperitur quoque lapis huic alumini persimilis, qui gustus judicio dignoscitur, quod non adstringat. Damnatur in rotundi genere, quod manu confictum est: sed ex figura deprehenditur. Assumendum autem suapte natura rotundum, bullis turgens, candido propius, atque validius adstringens, praeterea nonnihil palloris cum quadam pinguitudine praeseferens, sine arenis, friabile, natione Aegyptium, aut Melium. Liquidum praefertur maxime pellucens, lacteum, aequale, et semper succo madens, sine lapidibus, atque quemdam caloris igniculum expirans.* Plinius *lib.* 35. *cap.* 15. ratione coloris distinguit alumen in candidum, et nigrum; ratione consistentiae in liquidum, et spissum sive concretum. Rursus liquidum impurius *παράφορον*, paraphoron, limpidum *φόριμον*, phorimon appellari scribit.

Spissum etiam duplex statuit; scissile, et rotundum. Hinc considerat scissile vel glebose, aut assulose compactum, vel in quaedam canescentia capillamenta sigillatim dehiscens. Itidem rotundum vel spongiosum, prorsus damnabile, vel pumicosum, quod melius est. Apud Galen. 9. *simpl.* praeter hasce aliae etiam aluminis appellationes reperiuntur, scilicet ἀστραγαλωτὴν, πλινθίτιν, et πλακίτιν. Adnotandum est inter veterum aluminis species, liquidum, quod juxta peculiarem methodum sub forma fluida ex fodinis trahebatur, nobis omnino ignotum esse. Hodiernum alumen est sal ex acido sulphurico, et puriori terra argillosa seu alumina compositum, unde a recentioribus sulphas aluminae vocatur. Hoc alumen sive nativum, sive factitium, quando purum sit, minime roseum est, in crystallos polyedras, aut irregulares concretum, et longe melius in aqua calida, quam in frigida solvitur. Ubi adstringendum sit maxime juvat, ideo a medicis, et veterinariis magni habetur, variisque hominum morbis, etiam interne adhibitum, (quidquid nonnulli contradicant,) valentissimum auxilium jure censetur.

INDEX CAPITUM.

F I N E.